

ANT. PEREZII

AD

*Comitem ESSEXIVM, singularem  
Anglia Magnatem, & ad  
Alios*

EPISTOLARVM.

Centuria vna.



PARISIIS,

LIBRO DE...

...

...

...

...

...



PARISIS

2

EPISTOLA PRIMA.

Ant. Perezius.

MYLORDO ESSEXIO.

Salutem salutis meæ precor. My-  
lorde, quid de mea salute? quid de te  
sperare possum? Tu enim in quo mea  
salus sita est, mea salus es. Quid dixi  
mea? Multorû dixissem melius: mul-  
torum filiorum, innocentium, virgi-  
num, martyrum salutem commenda-  
ui, cum meam commendaui. Absenti-  
um tamen, fateor: sed ab absenti-  
bus, & ignotis laudari, & celebrari  
gloriosum est: & tantò gloriosius,  
quantò longinquoiores, & steriliores  
ad fructum gratiarum referendum  
ij, in quos confertur beneficium. Cor-  
pora, inquam, illa, & miserrimæ illæ  
animæ captivæ, esca furoris, invidiæ-  
que præda. Vale salus mea, & curâ ut  
ego etiam valeam.

EPIST. II.

*Eidem.*

A ij

Ista intellexi ex ::::: Mittotibi tā-  
quā Apollini meo. Nihil nouisse no-  
cebit. Auris enim, & lingua non con-  
terentur, nec consumuntur suā natu-  
rali exercitatione, sicut alij sensus, &  
illorum instrumenta. Sed heus, My-  
lorde, caue ne has meas epistolas, vel  
earum exemplaria Camellus ille arri-  
piat, & in Hispaniam mittat, magisq;  
miseræ illæ animæ vexentur, atque  
opprimantur: si magis opprimi pos-  
sūt, quæ præter carcerē corporū pellē  
pro carcere animorū habēt. Vale sua-  
uissime, ac latissime carcer animi mei.

## EPIST. III.

*Eidem.*

Tam mei fati est peregrinari, vt si  
corpus non peregrinetur, quia apud  
te hoc requiescit modo, saltē animus  
non possit nō vagari. Dum abes, My-  
lorde, peregrinatur anima mea te  
quærens, & quod maius est, etiam te  
inueniens. Quis enim cūm te inuene-

rit, requiescere poterit in hâc, vel in illâ, in vnâ, vel in alterâ, tuarum mille virtutum, quum earum quædam trahant, quædam inebrient, dominatrices omnes & sensuum corporis, & facultatum animi. Vale.

## EPIST. I V.

*Eidem.*

Quia te, ingeniumque tuum noui, qui te, tuamque salutem paruifacias, maximi autem tuam Reginâ, & tuos, non vtar illo modo loquendi, cura vt valeas, sed cura vt valeamus. Si autem id satis non est, vt te cures, addam illud, Vide ne quid Resp. detrimenti capiat tuâ inualetudine. Actum erit de nobis, de bonis, de malis, quos sine timore, imò cum premio sine te sua audacia, & petulantia perdet. Vide quot, & quibus te serues. Vale igitur omnibus.

## EPIST. V.

*Eidem.*

A iij

Duabus inter mille de causis præcipuè te amo, & in continuo tui sum desiderio. Vnâ quòd animum meum possides: altera, quòd timeam sepeliri te absente, tanquam cadauer ab inimicis meis. Ergò si me amas, ne discedas sine me, etiam ad Tartara te sequar. Vale seruator mi. Hæc exarabâ dum tu ad me scribebas, vide sympathiam animorum. Audiui ego resonare testudinem, etiam nõ pulsata, dummodò consonans sit cum alterâ, cuius pulsentur fides. Idê sepe accidit se inuicem amâtibus. Veni Mylorde, vel me ad te reduc exulem à te absentem. Sed quid tu Romanam tuam excusas linguam, qui excellis Romanos eloquentiâ, & virtute animi? Discant, discant Critici isti Sabelli, Smythi, Hammondi, & glorientur te præceptorem, sicut Dominum, habere: & me in hoc imitentur, & sequantur. Vale præceptor, & domine.

*Eidem.*

Mitto tibi exemplar mearum litterarum, in eo videbis, quæ tibi retuli hesternâ nocte, si nox erat Sole præfente. Sunt, Mylorde, consideratione digna, ni fortè tam securè viuitis, & arcum alterum cœli in signum perpetui vestri dominij à Deo possidetis, vt nihil vobis necessum sit exera curare: quasi aër ambiens non ex præcipuis caussis salutis sit: de venturâ die cogitare: quasi fœlicitas hodiernæ diei sit integra sine securitate subsequenti: futura contingentia timere: quasi certior consideratio vlla sit ad securè viuendum, quàm futura prospicere, & prouidere. Condone mihi libertatem loquendi, saltem quia in illâ fui educatus: & quia qui liberè suo loco, & tempore non loquitur, etiam hospes, vel infidus, vel ineptus est. Cauete qui statis, nil firmum, nil

A iiij

stabile. Mundus rotundæ figuræ, eâ  
 de caussa ex sua naturâ instabilis, &  
 omnia quæ in eo continentur. Quæ  
 retuli tibi breuiter ab amico animad-  
 uerfa de animo ::::: de inuidiâ :::::,  
 & suorum; de conuenientiâ absentia  
 meæ ab aulâ, & à scopulis, & præcipi-  
 tiis illius sunt Mylorde, non paruifa-  
 cienda nec à te, nec à me. A te, ne tibi  
 quottidiè molestia nouæ exoriatur,  
 sicut hydræ capita, ex pietate, & amo-  
 re tuo erga me: & ne te in me offen-  
 dant, quod ego meis omnibus peri-  
 culis, & mihi ipsi antepono: A me, ne  
 me perdant suâ inuidiâ, quâ verè me  
 magnificent. Quasi ego talis sim, qui  
 inuidiam merear, nec pro lynce ha-  
 beri possim, qui oculis consideratio-  
 nis vestrum statum, & rerum vestrarû  
 cursum contemplari, & dijudicare  
 valeam. Tu audies, cõsules, decernes,  
 imperabis. Ego obediam, abero, abi-  
 bo si necesse est. Prætereà quid sibi ti-



ment à cadauere nil apud vos ambiē-  
 te præter sepulchrum quietum? Hoc  
 quærebam animo meo, & ossibus  
 istis. Illud inueneram, gratiam scilicet  
 tuam. Iam experior quod non credi-  
 dissem, Inuidiam ossa rodere, etiam  
 deuorare. O feram insatiabilem!

MYLORDVS ESSEXIVS

ANTONIO PEREZIO.

A te rogo, charissime Antoni, cur  
 tam tristis es? cur melancholiâ labo-  
 ras? si laborare possis eâ, quâ tibi nimiū  
 places. Si sympathiam sentiebas tristi-  
 tiæ meæ, vnâ mecum emerge: sin ali-  
 quid acciderit, quod te turbet, elo-  
 quere. Nam me magis affligit incer-  
 tus metus, quàm certus dolor: Non  
 operam meam, non cōsilium tibi of-  
 ferre volo: operam infirmam præsta-  
 bo, quòd viribus non valeo: consi-  
 lium tu non nisi à te ipso possis mu-  
 tuari, in quo fons consilij est: sed me  
 offero, vt quod neque adiuuando, ne-

ANT. PEREZII.

que consulendo diminuere possum  
partem eius ferendo leuem. Vale  
animo, & corpore, aut vtròque æger  
erit tuus

ESSEXIVS.

EPIST. VII.

Ant. Perezius.

*Eidem Mylorde.*

O dulcem melancholiam, quæ ta-  
lem meruit consolationem! Milorde,  
mi millies Milorde, nonne nosti de-  
finitionem ecclipsis & Lunæ, & Solis?  
Illam interpositionem esse Terræ in-  
ter Solem, & Lunam, hanc interpo-  
sitionem Lunæ inter Solem, & Terrâ?  
Si inter Lunam, meam, inquam, for-  
tunam instabilem, & semper pericli-  
tantem, & Solem solum meum, Te,  
interponitur absentia (amantibus  
enim, & peregrinantibus absentia à  
suo amato terræ oppositio) si inter  
terram, cadaver scilicet hoc, & gra-  
tiam tuam interponitur, vel potius  
opponitur mea tibi Fortuna, nonne

tristis, nonne obumbrata erit anima  
 mea? Ille in amico dimidium animæ,  
 hic ego in amato totam animam.  
 Ecce causam tristicæ, ecce tristi-  
 tiam, ecce animam ipsam. Nam  
 qui animæ peregrini nomen pro-  
 prium imponere voluerit, Tristicam,  
 Melancholiámue appellabit. Tu te  
 mihi redde, tu te nobis conserua, da-  
 bis consilium, dabis auxilium. Quia tu  
 mihi potens satis, tu prudens nimis,  
 Tuus.

## EPIST. VIII.

*Eidem.*

Ex meo Platone, & ex meâ veritate  
 (tu mihi vtrumque) audiui axioma il-  
 lud magis affligere incertum timo-  
 rem, quàm certum dolorem. Hinc  
 Mylorde, melancholia illa altera he-  
 sternæ noctis animi mei præfagientis,  
 patet iam quid mali. Deosculatus sum  
 hodiè ex consuetudine vestrà in con-  
 uiuiuo septem fœminas illustres cor-

pore, pulchras animo. Sed quid hoc ad naturam osculorum? Oscula enim grata, iuuenilia, fragrãtia, suauia (hinc suauium osculum) sint necesse est. Memineris, si amas tuum Antonium axiomatis alterius, contraria contrariis curari. Si nosti antidota septem oscula contraria illis septem, vel vnum, ne contendamus de numero in extremis, præterquam quod oscula sunt similia monetis, quarum vna potest habere valorem multarum, subueni iacenti, animabis illum, resurget is, cuius tu melancholiã vexari soles: sin minus languens iaceo, pereo, perijiam. Sed quia vereor vel te tibi reseruaturum talem medicinam, vel istam tuam castitatem Vestalem potiùs permissuram mori infirmum, quàm passuram tali remedio sanari, adde saltem Mylorde, sepulchro meo hoc epitaphium.

HEVS viator, cape consilium ab  
 experto suo damno, tuo beneficio.  
 Amplectere, lambe oscula iuuenilia,  
 rubicunda, odorifera: Fuge, respue  
 senilia, pallida, fœtentia: hæc exan-  
 mant corpus, illa animam, abi. Pro  
 consilio miserere iacentis ex veneno  
 septem osculorum. Apage Mylorde,  
 ne sententiam proferas, video te ira-  
 tum, exul exhibo, recedo iam. Delicta  
 audaciæ exilio, morte nunquam pu-  
 nita fuere. Vis scire causam? Quia au-  
 daciæ tales ingrati sunt Modestiae fi-  
 ctæ, non naturæ sensuum. Vale.

## EPIST. IX.

*Eidem.*

Nocte præcedenti insomnium me  
 occupavit. Illud autem est. Querebat  
 à me ostiarius huius domus, nostine,  
 Hispane, causam, cur hîc maneas, &  
 serueris? Ego illi, nullam aliam nisi  
 Pietatis, & Misericordiæ, pietatis  
 enim sum obiectum: & sine obiecto

virtutes non exercentur. Inde Æternitas illa diuina cōmota fuit ad creationem creaturarum, vt suam exerceret pietatem, cum non posset Summa illa Potentia eam ociosam continere. Tūm ostiarius, id non nego, sed alia est etiam caussa. Nonne tu, qui in aulis Regum vixisti, vel potius interiijsti (illic enim mors, non vita, saltem sepulchrum viuentium) vidisti sustentari, & alia animalia rara, Rhinocerotem, Elephantem, Tigridem, præcipuè aliquod monstrum Naturæ? Tu tanquam monstrum Fortunę hęc aleris: quę eò sunt admirabiliora monstris Naturę, quò caussę à quibus proueniunt, violentiores sunt prodigiis omnibus Naturę. Ecce meum insomnium, ecce monstrum Fortunę: sed quisquis sum, tuus

EPIST. X.

*Eidem.*

Cur opprimis tot gratiis quę geminā

omnium pretiosissimâ gratiæ, & amoris tui beati? quem quotidie assiduis beneficiis ditas? cuius etiam iam prædatus es viscera? Pretium solum, quo ego gratiam tuam mereri poteram. Quid dicam nescio: tacebo igitur. Quid agam ignoro prorsus, nec ad quem confugiam: ad te ipsum. Tu ipsemet, mi lorde, me à te ipso redime, vel captivum æternûm retine: & ita rorem istum tuæ liberalitatis, vel potius pluuiam tot beneficiorum non in alienam, sed in propriam possessionem effundes: Possessor enim mei es, possessionis tuæ.

## EPIST. XI.

*Eidem.*

Accepi epistolam tuam auram suavissimam recreantem hanc animam, languentem sine te. Respirabo igitur Mylorde. Obediam tuis mandatis. Mandatis vitæ, quæ me conferent ad te, Sydus non solum huius regni, sed

à quo etiam lucem pallens mea fortuna sperat. Ibo, adero vbi, & quando iubes. Vale.

## EPIST. XII.

*Eidem.*

Ecce conceptum, & partum meum de Principum subiectione tam Fortunæ, quam Naturæ. Vtrâque enim, sicut Mors ipsa, in Reges, & pauperes æquale habet imperiû. Quotidie Mylorde, vel pario, vel parturio. Pario dolores, quos Persecutio generauit, & adhuc generat. Parturio conceptum tuorum beneficiorum. Maiores autem sunt dolores subinde parturientis. Quid enim humanæ naturæ magis naturale doloribus? dolores verò, & labores ex priuilegio Naturæ nunquam maiores viribus humanæ imbecilitatis: simul nascuntur, simul occidunt: gemelli sunt nostri & ortu, & occasu. Pusillum autem hoc vas, & inutile, & idem fractum non est  
capax



capax tatorum, & tot tuorum beneficiorum. Beneficium, Mylorde, conceptus est, gratitudo beneficiis debita, partus. Ergo beneficium virtutē, & excellentiā generantis habet: debitor naturam concipientis. Illinc dolores mei pariētis, hinc angores parturiētis. Vale generator à tuo parturiente.

## EPIST. XIII.

*Eidem.*

Remitto tibi quæ ex iussu tuo exaravi. Tradidi prius D. Ioanni Vvroth, vt imperasti transferenda in Anglicanum sermonem. Volui etiā tibi mittere, quæ ego Hispano scripsi, vt possis si volueris, comparare cum stylo Anglicano meum, obscurum, & melancholicum. Sed quid aliud sperari potest à calamo, quem cor triste mouet. Heus, Mylorde, tibi soli exemplar istud esto. Vale.

## EPIST. XIV.

*Eidem.*

B

Magna inter animum, & corpus meum orta est dissensio. Animus obicit corpori solum illud sustentari, & frui tuis bonis, sibi autem deesse suum cibum, tuam scilicet præsentiam. Et quod peius est, eò res redacta est, ut animæ diuortium minetur corpori, si diutius ita viuendum sit. Vide in quo ego sum conflictu, cuius vita in concordia vtriusque sita sit. Ergo vel animo huic frustulum sui panis præbeto, vel moriar. Mylorde, accepi litteras à ::::: Necessè est ut me audias. Tu videris quo id modo fiet, an ego ad templum, an, ut solebant loqui Hispani Mauri, si nopuede yr Mahoma à Lotero, venga Lotero à Mahoma, templum cum aliqua occasione huc se cõferat. Nunquid miraris modum loquendi? Nonnè templum animæ anima? Imò verum tēplum Dei anima.

## EPIST. XV.

*Eidem.*

Per caput hoc meum forsam suspi-  
 caris me fingere occasiones ad te  
 scribendi. Quid ergo? flagitium ne  
 est obnoxium pœnis legum huius Re-  
 gni ambire quem ames, circuire pi-  
 gnora sua quemque, præsertim inte-  
 riora, & pretiosiora? Mea tu habes in  
 obsides. Fateor te à me amari. In hoc  
 deliqui: huius delicti accusor in An-  
 glia. Me apprehende, iudica, condem-  
 na, suspende, suspensum tamen ab ore  
 tuo suspèdes. Nihil opus est testibus,  
 ubi adest confessio rei: si tam cru-  
 delis factus es, euadam pœnam hu-  
 ius culpæ delicto ipso pro excusatio-  
 ne. Sed ad alia. Habemus nomina  
 mercatorum ::::::: quorum industriâ,  
 & operâ utebantur coniuratores illi.  
 Non nocebit nosse, & curare ut in-  
 tercipiantur epistolæ, quæ eis scri-  
 buntur, sunt enim, Mylorde, rerum ta-

B ij

lium veri testes, & speculatores: & quod maximum est, notos fieri complices reliquos, si qui sunt, vel saltem notum fieri non esse vos talpas, sed hominem acutissimum, fidissimum, prudētissimum Consiliarium Reginā apud se habere Essexium, cōstantem in amando, indefessum in operando. Quid non scribent exteri illi de Antonio hoc? Quid non machinabuntur? Audi, vel interroga dominum ::::: Quām illis gratū foret hanc epistolam intercipere, ut eam remitterent ad Occidentales partes! Vel me occidant, vel actiones naturales amoris, & fidei debitæ bono communi, & regno ubi seruior, operabuntur iugiter in me quòcumque iero. Imò illud addam, me nunquam crediturum de principe Christiano, nec de quoquā bono viro illorum animos offendi posse in obseruatione legis naturalis. Sed tu perge, Mylorde, ser-

ua tuam Reginam, regnum totum, te ipsum in illis seruas: alia regna seruas, secundum sententiam prudentissimi viri, qui assererat salutem vniuscuiusque regni à felicitàte adiacétium regnorum pèdere. Audi paradoxum, me etiam aliquando de eo differentem, vel potius quæ audiui referentem: non somnia, sed visiones veras audies. Non adhuc me totum legisti inutilem librum, & corticem: non omnes meas merces explicui. Paucos inueni curiosos harum mercium. Vale seruator Reginæ, regni, & tui te obsecro.

## EPIST. XVI.

*Eidem.*

Postquam discessisti à me, quasi dicerem postquam me cadauer reliquisti, talis enim viuo sine te, sed cadauer viuum in anatomiam vitæ humanæ, fauorúmque principum, in exemplum, & experimentum huma-

B iij

num: nouum genus anatomie nouū  
 genus cadaueris viuentis requirit. Vi-  
 de deliria mea, & quàm meritò te re-  
 prehendant, quòd me sustententes inu-  
 tilem, amètem, & quem Hypocrates  
 non sanaret medicinis, quas amentiaè  
 Democriti præpararat, & quòd tam  
 vager relaturus, quæ modò leges.  
 Postquam discessisti habui in mani-  
 bus chartam aliam Ferreræ de Gama  
 in instructionem illius qui iturus  
 erat in Flandriam ad ::::: & indè in  
 Hispaniã delaturus eius litteras. Ha-  
 bui etiam declarationé eiusdem ituri  
 in Hispaniam, quæ continet partem  
 illam ad vitam Reginaè pertinentem.  
 Quàm improprie dixi partem, quum  
 totum dicere debuiffem, in quâ agi-  
 tur de vitâ tantæ Reginaè. Nec loqui  
 scio. Sed mihi crede illud etiam ma-  
 ximi faciendum in talibus acciden-  
 tibus, Æstimationem scilicet apud  
amicos, & inimicos externos, notum

omnibus fieri Confiliarios, & Mylordos tantæ Regine non Balordos esse, & qui cum oculos habeant, non videant, cum aures habeant, non audiant. Agitur enim in hoc de honore maximæ omnium æstimationis, de honore scilicet prudentiæ. Ita senex Dux de Alua, senex ille, & vicinus olim vester, tam vicinus, vt nihil magis ambiret, quàm incolam esse vestrum, se pluris facere notam, & offensam intellectus, quàm vxoris adulterium, & vt verbis eius vtar. *Que se podia mejor suffrir el cuerno de la muger propria, que el del entendimiento.* Habes quæ te volui scire, sed non omnia, sunt enim alia. Vale à tuo amente, sed te amante, Hypocratem animi sui.

COMES ESSEXIVS

ANTONIO PEREZIO.

RES tractandę sunt, sed verba desunt. Negocia habeo de quibus ad te

B iiij

scriberem, quæ autem concepi, non  
 possum exprimere verbis. Sed tu ne-  
 quaquam verbosus es. Ergo animi  
 mei sententiam paucis comprehen-  
 des. Cupio scire, quænam illa sunt,  
 quæ contra personam Reginæ cogi-  
 tabant, imò tractabant coniuratores  
 illi Lusitani. Credebam hoc subie-  
 ctum fuisse machinationum omniũ  
 eorum. Sed quid dixi subiectum? Le-  
 gibus, supplicio, morti, cruci subii-  
 cientur, antequam persona illa regia  
 subiiciatur, vel lædatur à talibus sce-  
 leratis hominibus. Mitte, quæso, per  
 Smithum, quæ de istis rebus habes,  
 nam ero in aurorâ in castello Londi-  
 nensi, vt alios incarceratos conuin-  
 cam, vel saltem audiam, quid pro se  
 dicere, & contra se ipsos confiteri ve-  
 lint. Aliud peto, vt venas ad ædes  
 vxoris meæ, vbi tecum & anteprædiũ,  
 & post de istis rebus loqui possim.  
 Vale, nam sine te saluo ægrotabo ani-



mo, si non corpore, tibi fideffimo fideffimus amicus.

EPIST. XVII.

ANTONIUS PEREZIUS

MYLORDO ESSEXIO.

CVR, Mylorde, voluisti heri me experiri interrogantem, loquentem, iudicium facientem, & vt vno verbo, dicam, barbarum tuum Hispanum notum fieri, & à te sacrificari? Egregiam victoriam vincere quotidie diuersis modis victum, & vinctum captiuum tuum, fidum tamen, & obedientem. Sed heus, illud animaduertito in duellis obedientis, & sacrificantis maiorem esse gloriam victi, quàm victoris. Ergo gloriosior ego victus te victore. Ignoscete obsecro me recreari modo, quod hesternâ die non feci, & in auribus animi mei resonare verba illa suauissima, atque fideffima, quæ de Regiâ istâ personâ mihi scripsisti. O fœlices Principes,

quibus contigit tam fidos, & prudentes consiliarios apud se habere! Quid etenim prodest fides sine prudentia? Est enim inepta fides. Quid præcipue prudentia consiliariorum? imò obest sine fide, tãquam venenatum telum. Sed Mylorde fidissimè Reginæ tuæ, id te scire volo, non solùm te illam perfectè amare, sunt alij, qui perfectius. Nam si tu tam vehementer indignaris contra proditores illos tuæ Reginæ, intensius amant, qui me lóngè ab ista Maiestate abesse curant, ne vllus peregrinus apud illam maneat. Ignosco illis duabus de causis, vnà, quòd tam fidi sint suæ Reginæ, alterâ, quòd me hoc beneficio afficiât, nempè vt amor meus erga Maiestatem istam probetur ardere in Septentrionali parte, absentie, & obliuij. Addâm tertiã, quòd relegatus amabor, & fides mea absens in maiori prætio habebitur, & magis desiderabitur.

Cum huc veneris iubeto me vocari,  
verbum vnum, vel alterum tibi referam  
dignum notitiâ tuâ. Vale victor  
meus à tuo victo.

## EPIST. XVIII.

*Eidem.*

Aueo te conuenire, habeo enim  
quæ tibi referam non minoris momē-  
ti. Si verò credideris non solum hoc  
esse in causâ, sed desiderium tuæ au-  
ris, quòd in ea requiesco, & tuæ præ-  
sentia, quòd eâ sustentor, ne mireris  
si te nosti. Non enim ab Appoline  
illud, Noste te ipsum, dictum fuit so-  
lum ad minuendam arrogantiam ali-  
quorum, sed vt alij bona, & perfectio-  
nes suas norint, & Deo acceptas re-  
ferant. Hæc secunda pars te compre-  
hendit, hæc me excusabit à culpa de-  
siderij tui. Vale.

## EPIST. XXI.

*Eidem.*

Etiãsi non sit tuæ naturę cadentem præcipitare, & iacentem vrgere, tamen quia senex ille ex naturâ diaboli est, qui in inferno luctatur, & recalci- trat, te obsecro, memineris alloqui Reginam pro Hammondo, intellexi enim hesternâ die vulnus accepisse senem in animo, & erit opportuna occasio aggrediendi hostem in hac desperatione. Forsan erit pietas illum conuincere, vt se agnoscat.

## EPIST. XX.

*Eidem.*

Statutum est qui Dominum pro Domino reliquerit, crimen læsi Domini cõmittere. Sed non ita qui Dominũ pro Dominâ Longius ergo ab- erit ab isto crimine, qui dominũ pro amasiâ. Vale Mylorde, recedo à te, à tuâ amicitia. Habeo amasiã, quæ me requirit, me inuitat, mihi scribit. Amasia est, scemininę vocis est, & quod pluris est, superioris naturæ est, quia

nec homo, nec fœmina est. Forſan Hermophrodita eſt, vtriuſque generis natura. Angelus nō eſt, forſan diabolus eſt. Vale, & caue à diabolo, & ab eodem defende Tuum, ni te toto indigeas contra illum.

## EPIST. XXI.

*Eidem.*

Postquàm non ego in me, ſed in te viuo, neceſſe mihi eſt, vt de me à te ipſo ſciam, non à me. Mylorde, à te quæro, viuusne, an mortuus ſim ego? An moleſtias illas animi proieceris à te quæro. Si ærarium iſtud naturæ quanti meretur, tanti æſtimatur, fœlix caput, fœlicia membra, fœlix corpus, regnum ipſum. Sed illud audebo tuâ cum veniâ addere, vt prudentiâ tuâ aliorum ignorantiam, tuâ patientiâ aliorum malitiam temperes pro bono publico, ne ſpem, & remediũ ſalutis omnium ſine te amittant omnes. Vale ſalus communis.

ANT. PEREZII.  
EPIST. XXII.

*Eidem.*

Cógratulor tibi Mylorde, non omninò iam inutilem Hispanum te alere. Habes apud te coquum, perlege epistolam, & habebis agricolam etiã, non à quo eũque magistro doctum, sed ab omnium peritissimis Necessitate, & Fame. In speluncis, in montibus, in vallibus dum vagabar, dum me abscondebam, vt euaderem à furore Iræ, & Persecutionis, istas artes didici. Forsan Naturã suã illã veteri, & innatã Pietate, quã mihi adhuc fauet, tanquam patrona, hæc me scire voluit, ne cliens suus ex ignorantia alicuius artis inopiã periret, & à Fortuna, & ab eius seruis principibus conculcicaretur. Gaudet enim Fortuna seruos Principes possidere. Vide quã sim negligens, qui cum mecum irascerer quotidie, quòd nullã nossem artem nec liberalem, nec mechani-

cam, hæctenus non animaduertèrim  
in quibus ingenium meum exercue-  
rim. Illic didici condire oua, herbas,  
rustica poma. Illic etiam naturam nõ-  
nullarum herbarum, & radicum nõ-  
ui in meipso experimentum facien-  
do. Inter illas rupes, & præcipitia sæ-  
pissimè considerabam, quàm necesse  
sit arborum amputare ramos siccos,  
inutiles, & non aptos ad fructus ferè-  
dos, imò ad exsiccãdas suas arbores, &  
fructus aliarum impediendos. Alios  
inserere natiuos, vel exteros, si tales  
inueniantur bonæ naturæ, & fructi-  
feræ. Ab hâc consideratione rerum  
naturalium me trãsferèbam ad illam  
maioris momenti, nempè Naturam  
ipsam, veram nostram magistram, il-  
lud velle principes docere, eodem  
modo se debere gerere in suis actio-  
nibus, in gubernando sua regna, in  
vtendo his, vel illis natiuis, vel exteris  
Consiliariis ad imitationem Dei ip-

fius, apud quem nulla est acceptio  
 nec personarum, nec nationum, sed  
 meritorū solummodò. Vltius pro-  
 grediebar dum versabar in hac con-  
 sideratione, plurimis Principibus  
 Turcarum Imperatorem paganum,  
 & infidelem in hoc excedere. Consi-  
 derabam etiam herbam secādo non  
 diminui, sed crescere, & prata vbe-  
 riora euenire. Non impensæ parcen-  
 do, non auaritiæ seruiendo, sed libe-  
 ralitatem exercendo augeri Regna  
 propria, & acquiri aliena. Considera-  
 bam quanti beneficij sit nosse tem-  
 pus pullulantium arborum, occasio-  
 num scilicet, & illas amplecti. Nosse  
 radices, secreta inquam, animorum,  
 Principum, & clientum exterorum.  
 Nosse denique tempus, & tempora,  
 & cursum temporum. Heus Mylor-  
 de, si tuum Coquum, & Agricola m ir-  
 riferis (iam id facis, audio murmur ri-  
 sus) submissius facito. Tace, ne cui-  
 quam



quam dixeris me coquum esse, & agricolam, ne te irrideât, cum Coquo, & Agricolâ confabulantem magnatē, Consiliarium Regium, in aulicis technis versatum. Vale à tuo Coquo, salue à tuo Agricolâ.

## EPIST. XXIII.

*Eidem.*

Noui ex arte pictorum non posse vllam apparere perfectam picturam sine vmbra, et si antiqui pictores sine eâ depingebât. Forſan quia ſimplicitas illa antiqua id ferebat. Sed Malitia innouatâ cauit ne humana natura ſibi fideret ſine vmbra fidi amici comitantis. Indè auſus ſum te præmonere, quæ intelliges ab Smitho. Audi illum. Viſtibi vno verbo vim ſententiæ meæ exponam? Caue à te ipſo, caue ab vmbra amicorum fallacium, ſicut vmbrae. Caue à me, qui etiam ſi nullius ſcenæ ſim actor, nec quicquam ambiam apud vos, Spe-

C

ctator tamen, & homo sum; & omnis  
 homo mendax. Ergo non fidus.  
 Id autem sibi dictum, & consultum  
 credat amici Principum, quos priua-  
 dos mea lingua appellat: & merito.  
 Eodem enim instanti, quò amici  
 Principum creantur, priuantur secu-  
 ritate natiui status, nedumfortuiti.  
 Cósidera fallacem, caducam, morta-  
 lem, imò vmbra[m] mortis, imò ipsam  
 mortem, gratiam Hominum. Ex-  
 portę crede vmbrae.

## EPIST. XXIV.

*Eidem.*

Habes exemplaria illa, quæ ad te  
 mitti iussisti. Sed Mylorde, vis videre  
 naturam tui Coqui? Aptius dixissem  
 tui Agricolaë, coqui enim artem se-  
 quuntur, agricolaë naturam. Crede  
 mihi non tam sum stupidus, vt non  
 possim nosse, si non prudentiã, sal-  
 tem experimento timere pignora.

animi (tales enim sunt epistolæ familiares, præsertim scriptæ in respirationem cordis attriti, & animæ afflictæ, sicut meæ ad te) talia, inquam, pignora in obsides fidei meæ tradere sine timore euentuum futurorum. Crede mihi nil non scribam, nil non proferam, nil non tibi tradam fidus, constans, securus. Hæc est mea natura, hæc mea gloria. Experire me, serua meas epistolas, serua exemplaria isthęc : voca me in iudicium eisdem contra me testibus, etiam filiis meis obiectis, & illorum capitibus in minas, & pœnas, intrepidus, impavidus stabo in iudicio. Nunquam pœnabit me te amasse, nec me tibi confisum esse. Victor exhibeo te gaudente, si me amas, etiam si te accusante. Nam amas accusator gaudet vinci in duello amoris, & fidei. Illud addam: Si nihil aptè, nec scitè scripsetim in istis chartis, tuam, non meam fuisse cul-

pam, qui me experiris in iis, quæ non  
 noui. Coqui, Agricoleꝝ artem exercui.  
 Tibi prædixi, artes quas noui tibi ob-  
 tuli, nunquam de reliquis sum gloria-  
 tus.

## EPIST. XXV.

*Eidem.*

Ignosce indigna tibi referri purif-  
 fimis tuis auribus. Conscientia mea  
 me vexauit per totam noctem. Itã-  
 ne, inquires, Tu Antoni, qui amas  
 tuum Mylordum, turbas illius ser-  
 uos? Thomam illum, qui curam ha-  
 bet & sui, & domini sui calami, tu-  
 basti saccaro, ambaro, musco. Quid  
 cogitabas, quando id peccatum cõ-  
 mittebas? Nonne nõsti naturam il-  
 lius ternarij? Ignosce, obsecro My-  
 lordẽ, si à te, vel à se abfuerit. Mea est  
 culpa: Adsum qui feci. Ego mereor  
 pœnam, qui debueram præuidisse  
 ea, quæ mereuocant à mortuis, illum  
 potuisse redigere vsque ad deliquiũ

animi. Iacet, an stat? Per nostrū amorem non negabis modò iam cogitare de merelegando. Ibo, condona, honorem, nemo sciat caussam. Vale.

## EPIST. XXVI.

Eidem.

Qui magis ad te accedunt, magis credunt me à te amari. Forfan quia murmur animi tui erga me ad illorum aures peruenit. Inde tōsor tuus, qui ad aurem, & ad illas vicinas, & superiores tuas partes accedit, auram tuę gratiæ credit me possidere, vel quia videt me quotidie pendentem à pilo tuæ voluntatis immobilem, iudicat potentem ad intercedendum. Petiit à me, vt pro illo apud te intercederem. Ecce tonsoris confidētiam: ecce Antonij audaciam. Ignosce illi si à te deceptus est. Ignosce mihi si demulceri aures meas patior omniū mihi suauissimā adulatione. Vale,

C iij

ANT. PEREZII.  
EPIST. XXVII.

*Eidem.*

Citò, & malè, iam tibi prædixi, perfecti quæ iussisti. Legi D. Ioanni Vvrotho. Non ausus est reprehédere, quia tui sunt scripta, sed nouit defectus, & linguæ, qui Hispanam nouit, & conceptuum, qui prudès est. Agnouit ego in illo. Mea tibi, Mylorde, legátur scripta, Hispana præsertim, quia murmur illud meum Hispanicum erit neutrú tuis autibus. Sed nescio quid diuini habent tuæ aures, quæ participes excellentiæ istius animæ, agnoscét barbariem etiam Hispanicam. Iam pœnitet me tibi confisum esse. Si erraui, nil mireris, quia aduentabat ad tuas e-des formosissima puella. Cor diuinabat, lingua balbutiebat, calamus tremebat, manus trepidabat. Quid plura? Nec mens, nec quicquam suum in me officium faciebat. Quid mirum? Senex sum: Senis corpus si friget, &

iacet, ardet, & stat animus. Vale, qui  
 stas corpore, & animo.

## EPIST. XXVIII.

*Eidem.*

Adulari dominis seruos vidi sapi-  
 simè, seruis dominos nunquam. Hęc  
 noua, & omnium maxima adulatio.  
 Itane, Mylorde, lepidum tibi visum  
 est scelus Antonium tuum irridere?  
 Caue in posterum, si non quia Anto-  
 nius, at quia tuus. Quis sua irrifit vn-  
 quã? Hoc cine docuit Philautia? Quid  
 magis tuum, quam Antonius?

Tuus Perezius.

## EPIST. XXIX.

Ant. Perezius.

*Thomæ Smitho.*

Bygod, si quæ hic tibi scribam,  
 cuiquam dixeris, dum vixero te non  
 alloquar, ne dum amabo. Habeo sel-  
 lam in meo cubiculo, cuius brachia,  
 & crura à suis iuncturis separata ferè  
 iam sunt præ senectute. Hęc quoties

C iij

recumbo, vel illam apprehendo manum mordet, Hac nocte impressit dentes, vulneravit manum. Ego aliquantulum ex dolore iratus, petij aliam sanam, & iuuenem, & valentem me sustentare, vel non mordentem saltem. Accessit hospes Ludimagister. Hęc, inquit, domine mi, est sella Regis Eduardi. Ego illi domina mea, (habent enim cum nutricibus nescio quid cõmune Ludimagistri) malo sellam sanam, & nouam tutoris, quàm Regiam laceratam, & me lacerantem. Illud addam, me non ausum fuisse interrogare à sellâ, cur me toties, & intensius hac nocte momordisset, ne ex fame, vel ex iussu Iræ me persequentis, id fecisse responderet. Saluti enim cõuenit non semper origines nosse accidentium omnium. Vale, Tace, & si me irriseris miserere saltem meæ manus. Ni fortè eam indignam iudicaueris commiseratio-



ne, quòd moueat hùc calamum, qui  
te aliquandò mordet.

## EPIST. XXX.

Ant. Perezius.

## COMITI ESSEXIO.

Adest ante te, quem tibi sapius cõ-  
mendauì, vt gratias tibi agat pro fa-  
uoribus, & beneficiis acceptis: Respi-  
ce illum, satis illi erit Tui enim sua-  
uissimi oculi animi, & corporis vim,  
& naturam solis habent; recreant plã-  
tas virides, exsiccant inutiles: amicos  
animant, inimicos tabe conficiunt,  
vel potius, quia tuâ naturâ neminem  
odisti, vocabo illos inuidos tuæ vir-  
tutis, cuius comes ( tale emblema  
tui patris ) est Inuidia, imò lapis Ly-  
dius, in quo virtus, & longanimitas  
animi tui apparet. Accepi litteras à  
..... & ab aliis, quas cupio tecum com-  
municare, dummodò quiescant flu-  
ctus animi, & curæ tuæ de rebus pu-  
blicis, quæ te vexant. Ignosce auda-

ciæ meæ, quæ adire tua præcordia videtur audere. Absit. Respira, viue, vale, vt ipsa, quam amas, Resp. viuat te viuente. Hoc volebam, hoc volo, non adire Corinthum, nec ista sacra abscondita loca. Crede mihi, tam ex timore, quem experientiæ debeo, quam ex reuerentiâ, quâ te obseruo. Relega istum Smithum à te, te obsecro, si tibi ostenderit deliria, & somnia mea. Quid totus ego, nisi somnium? Quid Favor Principum nisi idem? Auram æstiuam, quietem maris, statum lunæ vocauit ille alter. Cecidi ego, cadet qui sequetur, vel Fortuna suam mutabit naturam.

EPIST. XXXI.

ANT. PEREZIUS.

Thomæ, Smitho.

Omnes debitores, & oppressi ære alieno fugiunt suos creditores. Quid facient oppressi amore alterius, ære inestimabiliori, & grauiori auro, &

argéto? Tu eâ de causâ fugis, & abes. Redi ad te, ad nos, inquam, Nam tâta est vis amoris in verè amante, vt in naturam, & substantiam suam transformet amatum. Te ego amo, te amore opprimo. Tu fugis, tu ad nos redi. Te absente, fugiēte potius, nam à me absens esse non potes, qui te quocūque sequor, sicut vmbra corpus, Te absente fuimus in monte Thabor, in domo Mylordi nostri, vbi resplenduit liberalitas, & humanitas erga me illius. Non ille (sua enim illa est natura) sed nos transfigurati sumus à naturâ miserâ ad naturam beatam fauoribus, gratiis, ambrosiis omnibus corporis, & animi repleti. Memoria tui nobis illic apparuit. Ego, & Sabellus tuus, qui aderat, iam meus, vide quid possit absentia (ocasio Tyrannidis, & occupandi Imperia aliena) tractauimus de itinere nostro in Academiam Oxoniensem, sed non sine te. Exhibe,

& restitue te nobis, & decernemus nostrum iter. Sed heus tu, nōne vides meas epistolas de naturâ sinapis, quæ se dilatantes multis ramis, & foliis verborum, nihil nisi granum paruum producant? Sed tamen sinapis granum vrit, & premit. Nōne te premit veritas mei erga te amoris, & absentia accusatio? Vale, & redi profuge ad tuum.

## EPIST. XXXII.

*Eidem.*

Dulcissimum caput. Sunt hæc superlatiua veriora tuis. Vide posthac quibus vtaris, ni tale velis audire: Memineris ad me remittere litteras salui conductus pro ::: Nolo te decipere, non in spe sciendi nomen illius puellæ id facias, ignorabis enim. Nōne legisti verba illa, ignoto Deo? Ignotæ puellæ hæc offer. Minoris pretij erant tales dij hâc puellâ: lapidei dij Puella autem hæc etiamsi lapidea, & lapi-

deum illius cor, animam habet pulchram debitam tali corpori, & pellem corporis suauissimam omnium puellarum. Fame pereant omnes, cum mihi Natura iam nec dentes, nec palatum reliquerit, sed solam sitim sensibus naturalem. Sed vide quàm te amem, quàm tibi aduler delitiis aurium tuarum. Sed dices, linguæ meæ etiam. Quid inde? natam meam linguam tuis auribus. Viue sine puellâ, vt valeas.

## E P I S T. XXXIII.

Cœnantibus sine me.

Cauete ab umbrâ meâ, imò à me verâ umbrâ: vos persequar hâc nocte insomniis (umbræ enim dominantur in somniis) qui cœnantes in meo hospitio obliti estis me inuitare, tâquam umbram. Umbra sum, sed viuens umbra. Umbra, quia persecutione euado, tâquam umbra: viuens, quia adhuc resisto, adhuc certo, sed fugien-

do, & gemendo. Fugiēdo enim Principum iræ sunt vincendæ, gemendo temperandæ, si humani sunt, si minus Deus vocādus, qui ad vindictam prouocatur patientiâ patientiū. Nōne gemitibus suis Israelitę commouerunt Deum contra Pharaonem? Idem ille ipse est, & magis noster, qui post eā homo factus est pro nobis. Sed cōsiderate melancholicos, & oppressos doloribus, similes phantasmatis esse, quæ per aliquod spacium incedere videntur, & post quatuor, vel sex gradus euanescent: ita Melancholici, ita ego incepti iocari in hâc epistola, & reuertor ad meam naturam, & ad gemitus pro iocis. Cœnatē vos, bibite, uiuite, qui statum fœlicem possidetis: sed miscete mihi credite aliquando, si non cinerem cibus, nec lacrymas potui, memoriam saltem naturæ Fortunæ, vt vos paratos videat in vtramque sortem, gaudet enim in-

cautos aggredi, & illos præcipuè illudere, sicut persequi, quos magis amplectitur: amplectitur enim vrsinis amplexibus.

## EPIST. XXXIV.

ANT. PEREZIVS.

Thomæ Smitho.

Si tibi scribam me desiderare alloqui Mylordum nostrum ob aliquod negotium non parui momenti forsân non credes, quia Thomas es, & forsân suspicabere, quia aulicus es, (omnes enim Aulici Zelotypi) peregrinum istis fauoribus Regiis frui desiderare. Crede mihi tam illos timeo, quàm nauis ventum vehementem, & immoderatam tempestatem. Auram suauem amoris, pietatis, fauoris amo, quærebam, inueni, Quid dixi? imò ipsa me inuenit, imò ipsa me quæsiuit. Ea nempe est vera pietas, quærerere indigentem. Nam miserorum voces audire velle, & oculos illorum expe-

ctare facere, vt verbis Iobi vtar, non est verè Pietatis, nec Liberalitatis, iam enim pretio illo inestimabili Liberalitas suam pietatem vendidit. Sed ad rem, Mylordum nostrum, vel te desidero alloqui. Sabellam tuum saluere iubeo millies, & amplius, & quia tuus amicus est, & quia aueo eius amicitiam. O par beatorum, & vtinam per me impar! Heus vos recipite peregrinum in collegium vestrè amicitie, peregrinum in amando. Beatior numerus impar. Valet ambo.

## EPIST. XXXV.

*Eidem.**Domine mi.*

Cósidera naturam linguarum, Deum ita appellamus Latinè, & idem est, quòd Mylordus, & Anglicè non appellabimus nisi Principem, vel aliquem magnatè Mylordum. Sed contenti viuamus inferiores: qui etiam si Mylordi non appellamur, possumus  
ramen



tamen ipsi inuicem scribere *Domine mi*, & quos fortuna distinxit, lingua, & verbis æquare: & solet etiam Fortuna gaudere opere idē facere. Quid miraris? Noui ego monstra maximis titulis ornatos, & non natos nec *Domine mi*. Vide ocium meum, qui cum sim tibi remissurus istam charitatem alicuius momenti ex iussu Domini Comitis nugas tales inseram. Remitto tibi etiam istum fascisculum litterarum Hispanarum, foeminarum formosarum, deliciarum animarum, corporum potius. Sed Bygod, si Myfordo meo hæc monstraueris, nec meas epistolas Hispanas, quas petiisti, ad te mittam, nec amplius ad te scribam. Quod ille iudicium de me faciet, si talia legerit, vel de Pharmacopolâ illâ aliquid? Sed heus tu, scis quid ego iudicem de te, & de Pharmacopolâ illâ? Absint longè à me conceptus, & verba talia: sed reliquum pro-

D

feram: eam in causâ fuisse, quòd cõ-  
mendatitias illas litteras nunquam ad  
me miseris, & postea miraris lapsus  
tuos ab equis, vel equabus. Securior  
ego viuo, qui nisi curru vehi iam non  
possum. Vale, & sta, ne cadas, ni ma-  
uis iacere, quod iacẽdo amplius non  
cades.

## EPIST. XXXVI.

*Eidem.*

Qui nouit infirmitatem, nouit vt  
plurimum remedium. Tu sicut amas  
medicus, qui nosti absentia tuâ me  
infirmari, sanasti, saltem reparasti tuis  
suauissimis litteris. Nam verè amans  
dum abest à suo amato, valetudina-  
rius animo viuit, & sanari omnino  
non potest. Amabò istam animorum  
imaginem ad me sæpius mittito, quia  
vt oculos amantium recreant imagi-  
nes amicorũ, ita epistolæ animos ab-  
sentium amicis representât. Sed quia  
noui in scribẽdo ignauiam tuam (no-

lo enim te tuis occupationibus, etiã si  
 assiduis, excusare, sed remedium ad-  
 hibere) aliquam mihi casam memi-  
 neris quærere propè Mœcenatem  
 meum, satis mihi necessariam dum  
 hæc pestis grassatur: quò me confer-  
 re, & animum, cum exanimem eum  
 sensero defectu suæ naturalis respi-  
 rationis, halitu illius consuetudinis  
 recreare, & te frui possim. Id solùm  
 quæro. Egone fortunam, egone For-  
 tunæ fortunas curem, qui Fortunæ  
 plurima bona ex præcipuis illius the-  
 sauris à multis ambita, & inuisa For-  
 tunæ ad postem affigere contende-  
 rim? imò proiicere, ne detentio illa si-  
 gendi suspicionem animi dubitantis,  
 vel pœnitentis, vel non constanter li-  
 bertati, & amicitia verè postponen-  
 tis argueret. Non ego in mensurâ, vel  
 pondere Fortunæ requiesco, sed in  
 illius, quem amo, gratiâ, & præsentia.  
 Vale, die Veneris: de die loquor, non

D ij

ANT. PEREZII

de Deâ, amicâ tua, inimicâ meâ.

EPIST. XXXVII.

Ant. Pereziius.

MY LORDO ESSEXIO.

Quæ habui tibi offero. Nullius sunt pretij : non nego, noui me ipsum, noui mea. Sed idē accidit mihi, & meis rebus apud tuam gratiam, quod metallis inferioris ponderis, quæ valorem assumunt, & speciem præstatiorem induunt ex petrâ, quam Philosophalem appellant. Propriè petram dixi gratiam tuam, firmam, constantem, immobilem contra meam fortunam, contra inuidiam, & reliquas illius ancillas. Sed quid inuidere potest quisquam mhi papilioni, animali cæteris imibecilliori, nisi alas amoris auentes vri, morique aduolando lumeni gratiæ, præsentiaque tuæ? Ne fastidias talibus ambagibus vtentem, vt quanti faciam tuam gratiam declarem. Solet enim ex nimio amo-

re euenire, vt quæ vehementer amemus, non rectâ aggrediamur, sed ambiamus illa, circumeamus illa, vel quasi indigni ad illa accedamus, lambêtes, quæ velimus deuorare, vt morâ suauitatem augeamus.

## EPIST. XXXVIII.

*Eidem.*

Agnosco libertatem meam, qui ausus sum me Sositiam fingere, te Amphitruoné. Quasi supra te inter tuos aliquis sit Iupiter, vel gradum Mercurij ego ambiam. Te, istam personam nudam (quid aliud munera, officia, fauores Principum nisi indumenta, ornamentaque, facilius exuuntur, quàm induuntur, etiam in hoc sequuntur Naturam indumentorum) Te, inquam, ego amo, æstimoque. Tu Iupiter solus te ipsum poteris offendere. Caue igitur Amphitruo à te Ioue: & habeto vt Amphitruo Sositiam fidelem, cuius ambitiosa fides te non

D iij

fallat : tàm difficilè , quàm æstimandum. Mercurios fideles inuenies plures, dum Iupiter fueris, nam fides nūquam non adulata, & reuerita est Ioues, nec fida vsque fuit in Sosis erga Amphitruones suos fortunam deleretes, vel desertos ab illâ Officia, munera ambiunt, non personas tàm Sosis, quàm Mercurij.

## EPIST. XXXIX.

*Eidem.*

Nullum maius testimonium amoris, quàm absente magistro discipulos conuenire, colloqui inter se de illo, consolari se inuicem memoriâ illius. Statim vt discessisti, conuenimus tres te amantes. Quid mirum tres nationes tàm diuersas Orientalem Italum, Occidentalem Hispanum, Septentrionalem Anglum eodem, in te scilicet, conuenire? In motu enim, & actione illâ conueniendi nulla potentior vis, quàm longè distantium.

Tūm verè auidè conueniunt, cū longinqui cōueniunt. Nōne lapis tantò maiori impetu ad suum se ptæcipitat centrum, quantò ab altiori cadit loco? Crede mihi facilius inuenies tres diuersarum nationum te fideliter amantes, quam tuæ. Nam sicut cum aliquid aspicias, & visu vis diiudicare, illud ab oculis separas, præsertim in ætate maiori, & prudentiori, quasi nimia propinquitas absit ad diiudicandum: ita adstantes, propinquioresque non verè norunt, potius nollunt nosse, potius inuident natiuo Prophetæ. Non vt nos amas, sed vt te à nobis amari permittas (fatis hoc nobis) & vt tibi caueas à tuis, hæc assero. Quibus non satis est amari, nisi addas præmiū, & spem tui fauoris. Ea est natura aulicorum. Vale à te ipso, & caue ab illis.

EPIST. XL.

*Eidem.*

Per calamum hunc meum amicis

D iiii

fidum, sibi aliquãdo non fidum, perque hanc dexteram illum mouëtem, nihil prudentius, nihil vrbanius doloribus. Quòd tota mea illa educatio, & experientia aulica non docuit, docuere dolor capitis, & vexatio tussis. Res ita se habet. Conuenerunt inter se caput, & pectus meum erubescencia, & meam inurbanitatem admirantia, vt de remedio differerent, hanc sententiam tulerunt. Caput quidem (debetur enim illi, dum prudèter suo fungitur officio, primus locus) Ego, inquit, grauedine premam hunc nostrum Antonium rusticum, & inurbanum: Tu pectus meum, tussi eundè preme rogo. Discet forsan, etiãsi non ex prudentiã (longè enim abest ab illo hæc, vt reliquæ virtutes) saltè occasione curandi se, suãque infirmitatem nudis pedibus suum Mylordum, quem ille tam obseruat, & reueretur, aliquando recipere. Ille tam hu-



manus est, vt reueretiã tribuat, quòd ex infirmitate euenerit. Hàc nocte, cum pro remedio doloris capitis, & diuersione tussis pedes meos lauãdos tradidissẽm, eccum te, eccam meam bonam fortunam, eccam meam rusticitatem versam in vrbانيتatem, & in reuerentiam debitam. Ecce beneficia ex doloribus: ecce vtilitatem ex consensu membrorum, & seruorum, & ex curã sui domini laborantium. Vale, & securè dormi: dormies verò, si securus vixeris ab illis.

## EPIST. XLI.

*Eidem.*

Tandem, tandem sum expertus Fortunam, de qua querulus viuebam anteã, singulari me beneficio donasse, obstrinxissẽque sibi. Quòd natura nemini, mihi Fortuna concessit. Cui Natura permisit post mortem reuer-  
ti, vagari, confabulari, negotiari, etiã-  
si nihil agentem, vt mortuum inter

viuos? Quis non se fœlicem existima-  
 ret si hoc assequi posset? Imò quis  
 mori non desideraret, si tãquam sub  
 nube Æneas, dum Carthaginem per-  
 lustraret, deliria humana posset con-  
 siderare? Hoc Fortunæ debeo. Mor-  
 tuus viuo, ignotus omnibus omnes  
 aspicio: Humanam hanc Tragœdiã  
 specto, delicias summas Fortunæ, Re-  
 ges inter se non conuenientes: sibi  
 inuicem non fidentes, à quibus de-  
 berent sibi non cauentes: summam  
 prudentiam, nemini se credere cre-  
 dentes, etiam suum proprium bene-  
 ficium conspicientes. Cõsiliarios de-  
 lirantes, sibi solis consulentes: inter se  
 vestem Regiam, & populorum pel-  
 lem diuidentes. Populos lethargum  
 illorum, auaritiam horum plectentes.  
 Tandem orbem cadentem, vel alium  
 cursum, & formam quærentem. Ex-  
 tremum suum diem miserè lugẽtem.  
 Quid plura? sto, nihil soli occupans

interviuos, si viui appellari possunt  
 dormientes. Incedo oppressus nemi-  
 nem offendens. Circundor inanis.  
 Non aspicior visibilis. Non audior  
 vociferans. Eccam potentiam Fortu-  
 næ nouam Naturæ potentiam supe-  
 rantem: Eccum me ex infœlici fœlici-  
 tem factum. Oppinio ergo & fœlici-  
 tas, & infœlicitas humana. Vale.

## EPIST. XLII.

*Eidem.*

Oppressus tuis beneficiis, cum quo-  
 tidie donis nouis me oneres, non pos-  
 sum non confugere ad epistolarum  
 grates. Ne eas dedigneris. Nam etiã si  
 tandem nihil aliud sint, quàm verba,  
 & papyrus, cuius nullum est semen,  
 nullus fructus, nullus vsus, flore tamẽ  
 eius ad Deos coronãdos veteres vsos  
 legimus. Vndè credis, & flore, & tali  
 flore, scilicet nullius vsus? Quoniam  
 Dij non indigent nostris donis, quo-  
 niam laudes cordium flores amant,

quoniam nihil eis gratius, quàm præ-  
 conis laudum celebrari. Erige sur-  
 sum mentis aures. Omnes illæ supre-  
 mæ Hierarchiæ nihil aliud quàm æ-  
 ternas laudes Altissimo offerunt pro-  
 clamantes. Sed si hæc tuam mode-  
 stiam non iuuant, nam statim vt lau-  
 daris, vel gratias audis (te depingerẽ  
 Apelle melius) contrahis frontem,  
 suppressis oculos, te ipsum fastidis:  
 (nõnne ego te noui?) debitorem tibi  
 Deum delego pro tot fauoribus, tã-  
 tâque curâ de me. Arenâ ipsâ. Quid  
 aliud peregrini? Steriliora enim sunt  
 beneficia, quæ in illos conferuntur,  
 quàm semina, quæ arenæ committũ-  
 tur. Sed sterilissimis peregrinis Libe-  
 ralitas, & Fœcunditas illa diuina fera-  
 cissimum solum, Arabiam fœlicem  
 superans, cõcessit animum, cuius gra-  
 tus affectus gratissimis diuinis ani-  
 mis superat Macedonum gazas, Ata-  
 balipæ, Montezumæque diuitias, at-

que gemmas. Vale Atabalipa, Metezumaque, vterque mihi, & quod illa omnia superat, Æsculapius ipse meus.

## EPIST. XLIII.

*Eidem.*

Vin videre corpus sine suo spiritu motus viuentis habens?Eccum illud. Apud te enim spiritus meus manet. Ergo posthac descendat necesse est, à te spiritus, qui animet hoc peregrinum, & miserum corpus. Quid tua miratur modestia, etiamsi te, meum cælum appellem? Nónne motu continuo tuæ de me curæ sto, & incedo? Nónne sole tui fauoris calefio, & uiuo? Nónne aurâ tuæ consuetudinis, & illius memoriâ, verâ, & suauissima animi mei respiratione recreor, & foueor? Nónne rore (quid dixi rore?) imbre tuorum beneficiorum sustentor, & alor? Vale igitur cælum meum potens cælare quascunque volueris tuæ voluntatis imagines in hoc animo, &

obedientiâ. Non dicam iam tuus, es-  
 set enim superuacaneum, qui apud  
 te, imò in te maneo, sed dicar æter-  
 num, & in sepulchro.

ANTONIVS ESSEXII.

Hammondum tanquam mei amã-  
 tissimum tibi iterum commendo. Sa-  
 tis dixi, sed gloriosè dixi.

EPIST. XLIII.

*Eidem.*

Adest occasio, Mylorde, quâ me  
 bees. Nihil de Maiestate istâ, nihil de  
 te sum meritis. Creditores mei estis.  
 Fateor, in hoc ipso confido, si Deum  
 imitamini. Audiui Regè Gallix iam  
 possidere Parisios, & Hispanis illis nõ  
 permissum fuisse exire ab vrbe. Deti-  
 net Rex Hispanix captiuum nidum  
 hirundinum clamantium ad Deum  
 filiorum meorum, & eorum matris.  
 Cõsidera, an sine nimiâ audaciâ pos-  
 sit peti à Reginâ, vt verè, & ex animo  
 petat à Rege, velit retinere illos, do-

nec liberentur mei. Si propter argē-  
tum, vel aurum, quod alij anteponēt,  
id peterem, non mererer audiri: sed  
propter sanguinem innocētium quis  
non audebit petere, & quis negabit  
favorem in gratiam cōmunem om-  
nium? Quid omnium? Naturæ ipsius,  
quæ propter vim, quam in hac violē-  
tiâ patitur, muta clāmitat, gemit cum  
stridore vehementi. Non audeo ego  
petere, ideo intercessionem peto. Ab  
illo me reuocat natura mea, ad hoc  
me cogit natura communis, Scio, nō  
proptiè dixi, credo à Rege me amari,  
nam amor Regum non in scientiâ,  
sed in fide consistit, & me absentem  
ab eo amari, non ex naturâ Regum,  
accedunt enim absentes ad inutiles.  
Væ mihi absenti, vni, inutili. Non  
omnes tui sunt similes. Vale à tuo nō  
valente, à tuo nihil valente. Si abierūt  
iam Hispani, sicut dum hæc scriberē  
audiui, aliâ specularimus occasione.

*Eidem.*

Hoc est mori, non dicam discedere, magis enim mori est à te discedere, quàm mori. Discedo Mylorde. Satis dixi, Dominus meus, & beneficus meus: Discedo iterum: quia millies morior discedendo à te. Omnia quæ defero tua sunt. Melius posses tu me insequi, & verba mihi dicere in viâ, quæ Laban Iacobo discedenti. Quia ego etiam tuus, tam tuus, vt si quæ tua sunt velis tibi vendicare, euacues harum venarum sanguinem, sicut animam euacuasti, tibi necesse sit. Sed heus, Mylorde, si id feceris cadaueri huic postea sepulchrum concedito, vt tuam liberalitatem exerceas etiam in mortuos, qui magis illam, quàm viui merentur, quia mortui nec laudare, nec petere possunt. In hoc ego mortuus, in illo viuus. Id tu debes naturæ tuæ, & fortunæ meæ: vtramque  
tibi



tibi tradidisse in mortuum, & viuum liberalitatem exercendi occasionem in obiecto vno. In me scilicet mortuo Fortunæ, viuo adhuc Naturæ. Tu ergo fœlix, quem mortui laudabunt, necdum viui. Vale igitur à tuo mortuo, & viuo: mortuo à te discedenti, viuo in sepulchro tuas æternum, tuæque liberalitatis in sempiternam tuâ gloriam propagaturo laudes. Ignosce chartæ, non se tibi siccam, & nitidam offereti: quæ dolores animi mei noscens, ipsa madida affuit, vt pro mortuo præ discessu, pro viuo præ amore lachrymabunda responderet, & satisfaceret.

## EPIST. XLVI.

Eidem.

Non obliuio, sed amor obliuisci epistolæ ad gubernatorem Dieppæ. Qui amat, occasiones quærit scribendi, & iterum scribendi. Nonne ego te noui, & varios tuos modos ostendedi

E

amorem, & pietatem tuam? Nullam erga me maiorem exercere poteris, quam de te ad me aliquid litterarum mittere. Rumorem hîc inuenio Regem reuerti versus Picardiam, & illic expectari. Si id est, tâto citius ad eum perueniam.

## EPIST. XLVII.

*Eidem.*

Heri nauem ascendimus vento secundo. Antequam conficeremus 20. miliaria, malatiâ constitimus ancorâ firmati. Postea ortus est ventus nobis cõtrarius. Ea de causâ reuersi sumus: etiamsi dux meæ nauis volebat Fortunam experiri, & expectare vsque ad noctem contendendo cum vento. Ego verò, qui ventos noui (quid enim aliud res humanæ quàm venti, turbinésque) non sum passus: præterquam quòd suspicabar alterâ nauem, quæ nos comitari cœperat, reuersam forsan esse, cum non appa-

reret, sicut res erat. Iussi itaque vt re-  
 uerteremur, ne in mari vagaremur  
 quæritantes ventum contra ventum,  
 forsan inimicos inuenientes. Laboro  
 enim, Mylorde, curâ de me, vt tibi fi-  
 dam de me rationem reddam. Hæc  
 te scire volui. Statim vt descendi è na-  
 ui, mihi relatum est nuncium perue-  
 nisse ad Vicealmiraliū cum litteris  
 Admiraliij, quibus illi imperat ex mā-  
 dato istius Maiestatis, vt plures naues  
 me comitentur, atque adeò ipse Vi-  
 cealmiralius. Reliqua nondum sunt  
 mihi relata, sed nescio quid audio de  
 periculo maris, & de nauibus hostiū.  
 Intelligam quæ potero. Interim A-  
 pollinem, & Mæcenatem meum cō-  
 sulo, vt quid sim factururus ad me scri-  
 bat. Vale.

## EPIST. XLVIII.

*Eidem.*

Mare, nox, discessus me comitantur.  
 Sed quid narro? quasi possim disce-

E ij

tere non de nocte, etiam si meridie  
 abeam, ab Angliâ, in qua tu manes?  
 Vale, & me ama, ut me comitetur vè-  
 tus secundus, amor tuus, à quo pen-  
 dent, ut volo, omnia secunda mea.

EPIST. XLIX. *Eidem.*

Perueni Dieppam fœliciter nauigatione.  
 Non adest gubernator: est Rotho-  
 magi. hodiè expectatur. Curavi ut  
 locum tenens illum statim certio-  
 rem de meo adueutu faceret. Ut venerit  
 expediam curforem ad Edmondum  
 cum tuis litteris, & ad Regè scribam.  
 Còsulam gubernatorem de meo iti-  
 nere, & videbo an sim expectaturus  
 hic mandata Regis. Quicquid exe-  
 quar, scies. Sed, Mylorde, credi non  
 potest, quantâ cum curâ me duxerit  
 Henricus Palma, quanto cum hono-  
 re in conspectu omnium in hac vrbe  
 me deposuerit. Te obsecro, ut cum  
 hæc omnia, & à tua gratia emanent,

& in tuam gratiam in me conferantur honores, in te recipias gratias referre Henrico Palma, & amori, quo illum prosequeris propter illius merita, addas nouam partem amoris, & illi significes tuâ illâ plus quam humanâ humanitate, quanti tu facias, qui me amat, & honorificè tractent.

EPIST.

L.

*Eidem.*

Non potes credere quàm ego gloriari de fauoribus istius Maiestatis, & illius de me memoria. Cuius gratia, si mihi non nota esset tot gratiis, & beneficiis, satis appareret, tam in iis quæ tu illius nomine ad me scribis, quàm in iis quæ ipsa tractanda cum Rege commisit Rogero Vlielmo de me, & de meâ salute. Hæc omnia effectus tantæ Maiestatis, summæque pietatis sunt: Sed ad me cogitasse scribere, & altitudinem illam ad cætrum humili-

E iij

ratis descendere, vndè hoc mihi? Ne permittas, Mylorde, amoueas, arripias illi calamum. Noui me, pennæ Phœnicis non deorsum volâdo, sed fursum sunt extendédæ. Ni fortè naturam Solis vnus, vnica ista auis, velit imitari, & suo calore, & splendore infima sicut suprema, indigna sicut digna fouere, & illuminare. Valeat, viuat æternûm, & tu vale, qui amas illâ.

## EPIST. LI.

*Eidem.*

Nondum perlegisti omnia. Illud deerat. Te obsecro, vt meas litteras abscondas ab istis Ciceronibus suis secretariis. Superest mihi, imò prodest à te potius iudicari. Supremi enim Principes, & iudices vt plurimum humaniores, & mitiores fuêre. Forsan quia iam nota est illorum potentia. Indè iniuriæ humanæ inferiorum iudicium, vt appareat, quàm potentes sient. Forsan etiam his, sicut

Regibus Deum non imitantibus, potest applicari locus ille Sacræ scripturæ lib. 3. Reg. cap. 19. *Et ecce dominus transit, & Spiritus grandis, & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Donum.* Quia statim addit: *Non in spiritu Dominus; Non in tali spiritu.* Cæue igitur ne sis ex talibus spiritibus. Potius imitare Deum, in suauitate illius diuinæ aurg tenuis. Idem tuæ Reginæ consule. Idem ego consulerem Regi, quem amarem. Quis enim non eligat imitari Dominum potius, quam id, in quo non est Dominus. Non in commotione Dominus? Non in igne dominus. Mylorde, hoc deerat, hoc volebam addere.

## EPIST. LII.

*Eidem.*

Nundquid caro mea ænea est, etiã si fides mea plusquàm ænea est? Nundquid viscera mea semel veneno tacta antidotis reparari poterunt? Si

E iiij

Dauus tu, non Oedipus, ego Antonius, non Hercules, qui grauitatem tuorum verborum, potius cælum ruës, sustinere possum. Verba tua dum flât suauiter animât, & recreant, sicut Zephyrus: eadem rigentia exurût, vt Auster. A frigore eorum quis sustinebit verè te amantiùm? Si vnquam tale merui, humerus meâ à iuncturâ suâ cadat: dextera hæc me deludat: anima corpus hoc derelinquat. Si id aues, eloquere, etiam in hoc tibi obediens erit anima mea. Sed caue tot in virtutibus Achilles alter, ne si semel occideris, postea Achilleo more excitare non possis.

## EPIST. LIII.

*Eidem.*

Miserimini miserâdi misericordes, ô vos amici mei, ne impia sfera vestrum vsurpent officium. Ambient enim auidissimè in tali casu, talique ictu mutare ferocem naturam. Ami-



fi comitem meorum laborum, con-  
solatricem mearū ærumuarum, co-  
stam, dimidiūque animæ meæ: a-  
nimā totam huius corporis dixissem  
melius. Alię vxores corpus virorum,  
illa, & tales, si alteram Natura noue-  
rit producere, animę corporum viro-  
rum. Audite, amici tutricem libero-  
rum captiuorum. Nil hæc contraria  
miremini. Ira enim potens semel cõ-  
mota mille in eodem subiecto con-  
traria coniungit, indiēsque coniun-  
get: Liberos seruos, viuos sepultos, in-  
nocentes reos: Vxorem meam amici  
fidilissimum. Aptè loquor. Vir est,  
quanque fortissimus fœmina, quæ  
pro marito non dubitauit mortem  
occumbere, & quòd maximum est,  
tormentis tardis, lentisque, omnium  
crudelissimis, magisque timendis cui  
notis, pro libertate illius animā suam  
tradere. Nõne anima huius cadaue-  
risilla, quę cum corpus huius animę

esse non posset secundum legem Nature, animam, & vitam huius corporis se fecerit? Hęc, hęc eadem (adest enim ante me) immanem illam beluam, Iram, vicit Patientię, Constantięque armis à Deo concessis, fortissimis, acutissimisque tam in salutem, & defensam, quàm in vindictã, & gloriam patiētium. Nónne ille alter pro crimine, & omnium offensã maximã habebat, quemquam à suarum faucium angustis in mortem, vnicum oppressorum portũ, tutissimũque perfugium profugientem euadere? Tãdem cesso ab istis singultibus, ne dum in iis moror, à me appellari credens mea fida cõiux, huc reuertatur iterũ pro me moritura, quę iam euasit à sepulchro viuentium, carcere, ad sepulchrum cadauerum, vltimum miserorum huius sæculi asylum, Natureque gremium securissimum. Illa verò, me assiduis vocibus, mutis ta-

men modò etiam præ timore appel-  
lat, atq; aduocat, vt quibus viuus veti-  
tum fuit sub matrimonio viuere, in  
sepulchro mortui fruamur eius be-  
neficio, atque consortio. Ecce, My-  
lorde mi, Epitaphium quod miserum  
istud cor dictauit calamo, tribuens il-  
li sanguinem pro atramento. Non  
nouum illi. Lege meum librum, illic  
inuenies, quot folia sanguine pro-  
prio scripserim in illâ carceris op-  
pressionè præ defectu naturalis respi-  
rationis, nedum alterius atramenti,

## SISTE GRADVM VIA-

TOR, NOVERIS QUÆ

IN SIBI HVC EVASIT.

D. IOANNA COELLO ORIVNDA A  
 LVSITANIA, PENELOPE ALTERA, AN-  
 TONII PEREZII ARAGONENSIS FIDA  
 CONIVX. QUÆ PRO LIBERTATE MA-  
 RITI SE, SEPTEMQUE PIGNORA OB-  
 TVLIT DIRÆ CARCERI, ANIMORVM,  
 ET CORPORVM HVIVS SÆCVLI SE-  
 PVLCHRO. QVIBVS CVM IVRE DIVI-  
 NO, ET HVMANO INTERDICTVM ES-  
 SET, (HEV PIETAS) ET LAMENTARI  
 VETITVM, PRO VINCTIS LIBERIS, PRO  
 MARITO PROFVGO E CARCERE AD  
 DEVM PROVOCAVIT: PELLE, ET OSSI-  
 BVIS (PROH DOLOR, VORAGO RELI-  
 QVVM DEVORAVERAT) RELICTIS IN  
 SEPVLCHRO, LAXIORI, MOLIORIQUE  
 IECTO. SED HEVS, SISTE ITERVM.  
 LAPIS LAPIDI DIXERIM EAM HIC IA-  
 CERE, NE REPETAT IRA, QUÆ AVDE-  
 BIT CONTENDERE CVM MORTE DE  
 IVRE IN MORTVOS, SICVT CVM DEO  
 DE IVRE IN ANIMOS. ILLVD TE SCI-  
 RE, HOC TE TACERE VOLVI: ABI.  
 OBIT ANNO CIC ID ::::: ÆTATIS,  
 NON SVÆ ::::: NEC HOC CUIQVAM  
 SVVM SVB IRA POTENTIS IMPO-  
 TENTI.

## EPIST. LIV.

*Eidem.*

Dum scriberem ad te istas queri-  
bundas voces, eccum tuum nūcium.  
Roga illum. Verè tu amas, qui natu-  
ram cordis, amoris fontis, imitaris. Si-  
cut enim cor, cum situm suum in me-  
dio pectore habeat à natura sibi desi-  
gnatum, suum motum potentio-  
rem ostentat versus sinistram, quàm ver-  
sus dexteram partem, ita tu in aduer-  
sis, sinistrisq; casibus appares, ades,  
imò stas, vt fortius sustentens caden-  
tem, iam iamque sepeliendum, nisi tui  
memoria omnium mihi maxima cõ-  
solatrix reuocasset. Vale à cadauere,  
sed viuente tuâ gratiâ, tuoque amore  
pro anima.

## EPIST. LV.

*Eidem.*

Donec huic pelli, ossibusq; mise-  
ris permissum fuerit à Natura in suo  
ipsius securissimo sinu requiescere,

voui me, Mylorde, Ecclesiasticæ vitæ. Non quia vita vlla humana, cupio enim dissolui, sed vt diutius morer, verserque cum sepulchris fidissimis omnium viuentium amicis, requie viuorum huius sæculi, miserorumque solatio: propinquiortque illorum aspectus me cõsoletur. Forsan etiam inter illa obuiam mihi fiet libera iam fida mea coniux. Non inde inferas, quasi magis Romanum longius à te me abfuturum, quia ad centrũ Diuinitatis, sicut ad Naturę gremium eadem distantia à quacumque circumferentia, locoque: De loco loquor, non de Religione. Vale cętrum, gremiũque meum.

EPIST. LVF.

*Eidem.*

Nunquam non in tempore tuæ ad me perueniunt litteræ. Sed si hæ proximæ, quas mihi redidit: diutius tardassent, actum fuisset de me, vide

quàm in tempore. Reuocarunt me, Mylorde, etiam si nihil aliud responsi afferunt, quàm meas ad tuas manus peruenisse. Hæc enim cura me etiam angebat. Sed illud quoque mihi referunt, me à te semper, constàterque amari: Vide, quid dixeris. Etenim verbum tale à tali, tamque constanti viro prolatum omnibus fortunis anteponendum est. Quantò magis à me, qui te supra omnia æstimo, amoque. Alia ab aliis intelliges. Plura cum fideliozem habuero nuncium, sed à te missum. Vale. Lege istas amici mei, qui animo profectur ad te, corpore enim non, nisi prænouerit se tibi non ingratum futurum.

## EPIST. LVII.

*Eidem.*

O me fortunatum! Nullum animal ex brutis superbit sine aliquo instinctu, vel fauore à Naturâ concessio. Quis non gloriatur à tali viro vinci?

imò quis non maximè gloriètur ab  
 eodem non vinci, certè non decipi.  
 Non possit, qui Palladem ipsam ar-  
 matã, vt nata fertur, vicerit, tam glo-  
 riari, quàm qui tuam dexteram artè  
 euaserit. Credisne, Mylorde, me igno-  
 rare technas amicorum Principum,  
 quas induunt statim, vt in eorum gra-  
 tiam recipiuntur? Ni fortè volueris  
 Diuinationi, vel Necromãtiã tribue-  
 re, quòd ex ingenio hoc tardo pro-  
 uenire non potest. Audiui ego te de-  
 cernentem cum tua Reginã mihi pa-  
 rare hamum cum suauissimã esca tua-  
 rum litterarum, vt ex faucibus animi  
 nostri rerum statum præsentem per-  
 nosceres. Eaque de causã expediuis-  
 se animal marinum barbatum, Ne-  
 ptuno satis notum, satisque similem,  
 ne illum interciperet cum tuis epi-  
 stolis. Mitto quæ scire desideras, eã  
 conditione, vt me victum tui amore,  
 non tuã arte deceptum credas. O si-  
 dam



dam bono publico fallaciam! ô profundam abyssum prudentiæ! Veriores laudes hæ sunt de te, quàm tuæ de me, qui me pædagogum oratorum appellas. Vale, & ne iterum me decipere contendas, vel peiora audies. Apertè aggredere. Matronæ Vestales non patiuntur arte vinci: ex pietate potius, & amore se dedunt.

## EPIST. LVIII.

*Eidem.*

Mitto ad te breuiarium eorum quæ ex Italiâ ab amico illo meo nuper accepi. Leges chaos rerum, & ad marginem per ipsa capita meam sententiâ. Si audacius quàm æquum est, loquor apud te, mereor veniam: zelus enim, & ardens amor boni publici comedit me. Sunt Mylorde, illa consideratione digna, & ex quorum notitiâ antidotum aliquod valentissimum præsentibus infirmitatibus extrahi poterit. Quòd autem illic de æquilibrio

F

Galliæ, & Hispaniæ inseritur, Angliamque esse examen Europæ, statèrâsque illa duo regna eiusdem Europæ, non omninò reiiciendum est à prudenti viro. Lege, relege, si id mea scripta merentur: sed postea igni tradito, omnium fidissimo secretario.

## EPIST. LIX.

*Eidem.*

Dum te frui non possum, sicut me cōsolatur tui memoria, ita me recreat tuorum præsentia. Magis verò eorum, qui tibi sunt propinquiore. Sed multò magis, imò & eorum solum, qui corde, & fide tibi propinquiore. Forfan enim ex iis, qui te circūstant, sunt qui te magis ambient, quàm ament. Qui magis te Iouem, quàm Amphitriionem obseruent. Hoc volebam dicere, cum de Ioue, & Amphitriione, de Mercurio, & Sofia nescio quid tibi scripserim: ad quos dignoscendos magis indiges tuâ prudentiâ, quàm

istâ naturâ nobilissimâ. Non enim ij  
 patent animis, sicut effigiis : humanis  
 his, ferarum illis. Vndè ab iis cauē-  
 dum tanquam parietibus ab ederâ.  
 Non inter istos nomino :::: Eâ de  
 causâ illius præsentia me recreauit.  
 Vt autem de hoc testimonium tibi  
 reddam, & meum de illius animo iu-  
 dicium, has illi tradidi litteras. Me il-  
 lis in spiritu vellem tradere, vt verè  
 me recrearem: Sed dum à te peregri-  
 nor, amato, vt solebas, eundem sem-  
 per in te amando, non ambiendo.

Tuum.

EPIST. LX.

*Eidem.*

Perennis tuus in me amor signa, &  
 testimonia de se ex se fundit quoti-  
 diè. N :::: tuum amicum ad me mit-  
 tis, vt apud me sit, & me seruet, & ce-  
 let tanquam amicam: maximū aman-  
 tium amoris signum. Doctum, & elo-  
 quētem, vt me rudem, & impolitum

F ij

doceat, & expoliat. Singulare æstimationis testimonium à Domino suo poliri, & celari lapidem aliquem. Lapidem in firmitate, tam tuum, ut intra annulum me possis concludere. Sed quid tu irrides amicum senem, & castitatem meam? De animis loquor, Mylorde. Castitas animorum excellit fidē Penelopes. Gaudet illa testibus, sicut & hæc. Animæ seniores tantò suauiores amicorum animo, quantò iuniora corpora gratiora sensibus. Crescit ætate pulchritudo animorū, quantum minuitur eorundem corporum venustas. Vnde, Mylorde, firma, & constans amicitia animorum, fragilis, & caducus corporum amor; imò seruus iste, nisi velis addere viam ad illam alteram. Vale.

## EPIST. LXI.

*Eidem.*

Commisi N ::::: nescio quæ ad te scribenda. Amat inseruire tibi, imò

ambit, vsque adeò deuicit illum tuus  
in tuos amor, tuáque virtus. Et ne sine  
spe premij, quod nõ fert natura huma-  
na, id credas esse: Tu spes, tua gloria,  
foelicitásque præmium nostrum. Le-  
ge tu illa, & tibi sint soli, cui soli  
peccare volumus, si errauerimus, non  
tot. Obserua in te, quod in ædificiis  
templorum, quæ non vnum, sed plu-  
res introitus ad se habent: Deum ip-  
sum non vnum, sed plures mediato-  
res habentem. Principibus idem ego  
consulerem, quia dum vni se tradunt,  
fiunt ex Regibus clientes, & vassalli:  
dum plures mediatores, & aditus ad  
se habent, præterquam quòd imitan-  
tur Deum (summa securitas, & foelici-  
tas) diuiniore sunt, & veriores Reges  
apparent. Amant enim clientes, sicut  
vxores maritos viros viriles, Reges  
potentes sibi, & aliis imperare: Sed ad  
te redeo. Te veneramur, venerabi-  
múrque æternúm, non statuas æneas

F iij

## ANT. PEREZII

iacentes, quæ superstitiosis, & auarissimis animis solum dominari possunt. Vale, & caue ab istis non tuâ gratiâ contentis, nisi imperent libero tuo arbitrio, nam si id pateris, non valebis.

## EPIST. LXII.

*Eidem.*

Habes ante te ::::: tam meum, quam tuos, qui me amant, esse desidero. Nihil enim aliud eum ad te defert, nisi desiderium te agnoscendi, ut te magis amet, & reueretur. Quod procul dubio omnibus eueniet, qui te tot virtutibus circumdatum viderint, & contemplati fuerint. Reliqua illius fidei, mihi fidæ commisi. Vale.

## EPIST. LXIII.

Ant. Pereziius.

MYLORDO MUNGIO.

Quasi non sperem vultum hunc, & illius ruborem vobis amplius ostendere (quod si non sperarem, non viverem) ita factus sum audax, & impu-

dens. A te peto (quod enim verbum potuissem audacius proferre, & magis indignum animo, præsertim sua-pte naturâ, etiamsi fortunâ id ferête, non nato ad petendum) à te inquam, peto duos canes Hibernos, qualem vnum tuum possedi. Canes canis in fide peto à viro fidissimo. Rarum in hoc sæculo, ideóque maximi æstimandum.

## EPIST. LXIV.

Ant. Perezus.

AD MYLORDO ESSEXIO.

Peruenit ::: tam onustus tuis beneficiis, & donis, quæ tua est liberalitas. Tàm tuus, quàm discedunt à te omnes. Habet enim ista tua humanitas à cælo concessa delectamenta omnibus partibus apta, suauissimamque vim ad animos, sensusque hominum captandos. Vale decus Angliæ, virtutumque domicilium. Humiliare homo. Deo acceptas eas referto,

F iij

ne euanescent, & exarescant. Vnde credis hominem inuersam arborem appellari? Inuersam nostris oculis humanis, & terrenis: rectâ verò verè, viridémque, si radicem defixam habuerit in suo naturali loco, cælo, vnde orta. Forſan etiam virtutem à viriditate appellatam credam, quæ ſi non viret (ſignum exſiccatae radicis) ad nullum perfectum fructum perueniet,

## EPIST. LXV.

*Eidem.*

Animasti me tuis litteris, vnde non erit in me iam meritum reſurrectionem mortuorum credere, cum in me ipſo id ſim expertus. Tres mihi tuæ ſunt traditæ epiſtolæ 25. & 29 Auguſti datae. Quàm ineptè loquerer, ſi mihi grattas referrem, cum virtute illarum à meâ melancholiâ, quâ ſubmerſus eram, reſurrexerim. Ad litteras venio. Neſcio quas in maiori pretio habeam, an Conſiliarij, an Eſſe-



xij : his enim nominibus eas distinguis. Illæ prudentissimæ, hæ suauissimæ. Illæ docent, hæ recreant. Ambæ diuinum alimentum præbent. In prudentiâ illarum suauitatem istius iudicij inuenio : in dulcedine harum prudentiam carpo. Non possunt diuidi diuinitas illarum, & humanitas harum. Scribat, scribat quæcûque persona istarum tuarum, vtrâque vtrâque virtutem in se continet. Vndè quid mirantur, qui admirantur, tàm me quotidie absentiam à te deplorare, tàmque te amari à tuo Antonio. Nec parui id facias: Rarum in hoc seculo quenquam à suis amari.

EPIST. LXVI. *sed intercepta.*

*Eidem.*

Ex litteris amicorum intellexi tuum ex Hiberniâ aduentum. Nò dum uoco illum rēditum, donec per te omninò pacato regno, dedito tuæ Re-

ginæ , & in gratiam eius Maiestatis restitutis omnibus gloriosus iterum redeas. Interea congratulor Reginae tuæ, vestræ Angliæ, mihi tuo, postremo tibi , qui omnia illa tibi anteponeis semper (nouit te) arripio calamum, quod regnum infirmum, & ferè desperatum tibi commissum eò perduxeris. Non tu Comici sequutus es cõsiliu, qui omnia prius experiri, quã armis sapientem decere consulebat. Quod ego non supremis Ducibus, sed supremis Principibus consuli intelligo. Nam Imperatores, præfectosque exercituum arma, potentiam sui Principis, virtutemque propriã prius experiri, quàm colloquutiones audire, decet. Gloriosę enim illis deditiones, quę ab armis proueniunt. Vndè ex cõsuetudine Lacedæmoniorũ gallum gallinaceum, & bouem (gallos, & boues dixissem potius, cum plures pluribus tuis actionibus debeantur)

Ioui immolari oporteret, quandoque arma tuę Reginę, & fortitudinę brachij tui expertus prius, tuâ prudentiâ, & istius tuę personę vbicumque iam personantis, auctoritate, & industriâ, negotium postea perfeceris, & ad deditiorem rebelles deduxeris. Lege Plutarchum in Marcello, & ibi quid mihi velim, quid tibi deberi intelligam videbis. O inuidia virtutis æmula, Principum pernicies, regnorum exitium, quâ erumpes modo? Cede, cede saltem præ timore (quis non sibi cauit?) pro honore (quis hęc humanę vitę animam spreuit?) pro cõmuni bono (quis salutem suorum membrorum non desiderat?). Noui te, noui tuam naturam, noui quoties te metus repressit, noui quoties idem te præcipitauerit. Caue ne iudicis tuo cõseruatori in maiorem eius gloriam, etiam tibi odioso, ingrata: tuo supremo Principi infida, in grauior-

rem eius contra te indignationem:  
 tuo Regno inimica in vltimam in te  
 vindictam. Quo in statu sint meæ res  
 in Hispaniâ, vel potius quo in cursu,  
 quo potius in motu lento, ex litteris  
 ad amicos meos intelliges. Quem ve-  
 rò ad exitum tendere videantur iu-  
 dicet alter, si inueniri potest exitus à  
 tali Labyrintho. Vale, & caue à Laby-  
 rinthis. Nil aliud Labyrinthi nobis si-  
 gnificant nisi aulas, & fauores Princi-  
 cipum. Id nos docere voluerunt no-  
 stri Maiores. Eâ de causâ credas re-  
 ferri quatuor fuisse Labyrinthos in  
 quatuor mundi partibus, vt ad om-  
 nes orbis partes notitia, & admonitio  
 perueniret, quàm timendi essent, vt-  
 que nossent omnes tot ambagibus,  
 tot foueis, tot præcipitiis vndequâ-  
 que esse plenos, vt qui eò semel in-  
 trasset, de exitu dubitaret, & qui se-  
 mel indè euasisset, timeret iterum eò-  
 dem reuerti.

## EPIST. LXVII.

*Cuidam amico.*

Si noſſent maleuoli, iuuidique quã-  
tò vehementior, potentiórque ſit pri-  
uatio Zelotipiã, amorémque naturam  
imitari palmæ, quæ cum maiori pre-  
mitur pondere, eò magis ſurſum, & in-  
vetitum contendit, ceſſarent ab amo-  
re noſtro perturbãdo. Vndè meritò,  
vt ad palmam reuertar, à Græcis ar-  
bor hæc Phœnix appellata eſt. Forſan  
quia vim amoris omnium virtutum  
Phœnicis, imitatur inter omnes arbo-  
res illa ſola. Ponderi non cedêdo, ſur-  
gendo aduerſus pondus Amare non  
norunt illi, odiſſe ſtudent, respiratio  
inferorum. Horum illi imitantur na-  
turam. Id eſt in cauſã, cur amorem  
mutuum perſequantur, conſeruato-  
rem humanæ naturæ, viam ad ſupre-  
mam illam Ierufalem. Pereant qui id  
conãtur. Nihil aliud quàm imaginem  
vitæ ſupernæ illius, cuius ſpe alimur,

cuiusque imitatione tanquam Peregrini sustentamur, è vitâ, humanoque commercio tollere conantur. Ergo suauissime amice, naturam nos sequamur Priuationis, illi Zelotipiæ, Inuidiæque ex stirpe dæmonis descendētis: vel potiùs ab inferis ad nos ascendētis. Amor, & Commiseratio è cælo: Odium, & Inuidia ab inferno. Sed misereamur nos illorū, vt amoris virtutem etiã in hoc exerceamus, meritum nobis, supplicium illis. Vale.

## EPIST. LXVIII.

*Eidem.*

Vale æternūm. Aspice amentem amantem à fine communi epistolarum principium sumentem. A. ....: noui te iam melius valere: Congratulor mihi, non tibi, quia cum vales, laboras curâ de tuis amicis. Intereã lege istam epistolam ad nostrum ....: Currum peto. Vale. nihil dum valeas, curo ordinem illum, & rãtionem Ro-

manorum in scribendo. Excellit omni eloquentiæ verborum animi eloquentia. Ita ille eloquentiæ pater, nihil silentio aliquando eloquentius: quanto magis parturientis, & conantis amorem exprimere, & non valétis.

## EPIST. LXIX.

*Eidem.*

Si habes aquam vtilem auribus sicut oculis, fœlix tu, qui ad benè audiendum medicinam possis amicis tribuere. Sed credo visum magis consistere in sensu ipso, quàm auditum: benè enim audire ab aliorum linguis pendere. Quàm non sum Philosophus? Quasi benè audire non consistat in proprio sensu, in propriis scilicet operibus. Hæc enim pendent à nobis. Sic ille Epictectus, quædam, inquit, sunt in nobis, quædam extra nos. Gibbosum credo fuisse, sed prudentem, & gibbum in parre animi anteriori habuisse, scilicet doctrinâ ple-

num pectus. Gibbosis verò, qui gibbum in dorso habent, clitellas pro onere natura prouidens, & Pia voluit imponere.

## EPIST. LXX.

*Eidem.*

Vis videre quò me deiecerit melancholia? (scis enim grauiorem esse humorem illum plumbo ipso) manus sinistra, quæ propinquior est cordi (nosti etiam propinquiores melius nosse, naturam sui Domini) dexteræ obstat, ne Dominum suum recreet tui memoriâ : & calamum mearum ærumnarum comitem turbat, & laniat, ne melancholiam subleuet, aut temperet. Considera quid in corporibus superioribus dissensio operari possit, si in hoc microcosmo hæc potestatem habet. Abiiciâ calamum, ligabo manus, imperabo meis, ascendam currum, & te conueniam crastino mane. Nolo me mei perdant suâ discordiâ,  
& con



& controuersiâ. Caue à seruis inter se  
diffidentibus, qui vt se de se ipsis in-  
uicem vindicent, perdēt suum ipsum  
Dominum.

## EPIST. LXXI.

*Eidem.*

Ignosce obsecro. Exemplaria litte-  
rarum, quas tibi scripsi, apud me non  
habeo. Te rogo, vt ea mihi remittas.  
Non quia alicuius sunt pretij mea  
scripta, sed vt me pœnitere liceat ine-  
ptiarum mearum cum eas relegero.  
Memoria enim nimis est salutifera, &  
verum speculum ad corrigendos de-  
fectus humanos. Dominus Comes  
venit huc hesternâ die: se contulit  
ad vxorem suam, inquam, nam alie-  
næ vt plurimum noctu sunt occupa-  
tæ à maritis. Ni tam peritæ sint vt sub  
vibrâ vacui brachij possint amatum  
abscondere. Sicut illa altera, quæ ad  
vibram hastæ, *à la sombra de vn dardo,*  
aiebat se adulterium securè commit-

G

tere aufuram. Curavi hodiè manè tè certiore fieri de aduentu eiusdem, sed statim discessit ad curiam. Heri adiueram D :::::: Non inueni illum. Redibo. Amo, & reuereor illum. Natura etiam illum amat, quæ amâtem captiuitatem liberè cogit viuere. O suauis violentia. Sed heus tu, aptè doctissimus ille Iustus Lypsius, cuius epistolæ mihi arrident plurimum, qui comparauit cælibes piscibus, qui aludunt circum nassam, & gestiunt inire, contra qui iam inclusi, exire. Caue tibi cælebs: Vide quid agas, præsertim si tua valetudo ad agendum non est apta. Vale: uiue cælebs, & uiues.

## EPIST. LXXII.

*Eidem.*

Tu fortior Leone. Quâ de causâ credis Leonem pati febrem quartanam? Non aliâ nisi vt illius fortitudo morbo temperetur illo. Credisne aliud uelle Prouidentiam Diuinam,

quandò aliquo casu, vel ictu calamitatis premuntur homines, præcipuè potentiores? Nil nisi potentiam effrenatam, & eorū abusum quasi febris Leonum temperare. Sed omitto hæc maiora, ad te redeo, & ad tuam febrem. Tu quotidianam, Antonium quotidianum. Attende, & me ipsam infirmitatem esse probabo. Cum primum ad te ingredior, frigus ipsum, gelu Gelandicum ipsum, te occupat. Senex enim sum, & præ timore persecutionis exanimis, & exâguis. Dum moror, dum te opprimo, dum calëfio, & reuiuisco tuâ præsentia, & tui amore ardeo, febris ipsa. Quid febris, nisi calor ardens, & vrës viscera? Quid magis vrit, & ardore præmit, quam oppressio? Non credis? Consule oppressos à potentioribus. Sed utcumque me ama. Nil mireris, amamus febres. Nonne puellas? Ardēt illæ: Nonne pulchras? vrunt illæ. Vale, cuius

G ij

ANT. PEREZII.  
amor ardet, & vrit. Ardet benefaciēdo, vrit obligando.

EPIST. LXXIII.

*Eidem.*

Habes meas ineptias tradendas Reginae correctas meâ manu. Scis quid significet verbum illud correctas? veras ineptias. Nâ quò sunt correctiores, eò perfectiores. Perfectio enim mali, summum malum, sicut perfectio boni summum bonum. Vndè prudentiores, qui aures suas mihi clauerunt: vos non ita, qui voces meas inanes patimini. Frater tuus me inuitavit ad cœnâ. Mordet me suo calamo, dente omnium mordacissimo, & rabidissimo. Quasi ipse si fœmina fuisset, casta aliqua Vestalis fuisset. Respice illius modestiam fictam, statim agnosces, quæ fuisset. Natus ego illi fuisset: amantes enim modestæ fictæ audaces homines, vimque pati, vimque rapi gaudent in excusationem, vt illa matrona Ro-

mana apud Tacitum, quæ de raptu  
conuenit cum amico. Sed heus tu, ne  
illi has ostendas litteras ante cœnam,  
ne aliquod mihi ex indignatione pa-  
ret venenum.

## EPIST. LXXIV.

*Eidem.*

Curavi nosse causam hesterni mei  
casus in foueam illam à familiaribus  
meis cogitationibus. Solêt enim mi-  
hi fideiiores esse quàm amici huius  
sæculi. Indè euenisse mihi retulerunt:  
Magnâ ortâ fuisse cõtroversiam in-  
ter sepulchra, & Solum hoc cômune  
uiuis. Sepulchra ita ad Solû. Da nobis  
cadauer istud, quod tibi retines, inu-  
tile uiuis, nobis debitû. Solum ex suâ  
innatâ pietate, non omninò, inquit,  
non uiuum. Adhuc respirat, adhuc  
suspirat, adhuc excogitat, & inspirat  
nescio quid in aures amantium Rêp.  
Attendite paulisper, forsân aliquid  
istæ suæ curæ proderunt bono pu-

G in

blico. Sin minus, illud vobis tradam,  
 non inuitum credite. Amat enim ma-  
 gis mori, quàm inutilis, & ociosus ef-  
 fe. Et experiemur vel somnia esse, &  
 deliria illius cogitationes, vel mor-  
 tuos, dormiētes saltem, qui illum non  
 audiunt. Eccam caussam casus. Sed  
 illud in beneficium meum sum ex-  
 pertus. Credebam, qui sub puluere  
 Fortunæ sum, non inferius posse ca-  
 dere. Plus vltra, plus infra ad caden-  
 dum. Adhuc quodāmodo sto, & me-  
 lius me habeo. Ne mireris hæc deli-  
 tia, insomnem enim ferè noctem trá-  
 segi totam præ dolore. Utinam: benè  
 mecum ageretur, sed præ doloribus  
 non dormiui. Vin videre quàm à te  
 amer? Etiam tuus currus ex amore do-  
 mini sui erga me, voluit mihi casum  
 meum prædicere: fractus est in viâ.

EPIST. LXXV.

*Eidem.*

Hodiè desiderauit te cōuenire. Bre-

uius dixissem, te desideravi. Nam qui amat, in orbem sui desiderij circumfertur. Verè in orbem, quia à corde, amoris centro, huc illuc fertur desiderium, & amatum tanquam orbem hâc illâc aggreditur. Non in visu, nò in colloquutione, nò denique in vnâ solùm actione, nec in vnus partis cõsequutione requiescit amor. Totum amatum circundet, & possideat necesse est. Vale, & multo manè me expecta.

## EPIST. LXXVI.

*Eidem.*

Audiui te siscitantem à meâ epistolâ, quid significant verba illa, Regna vidua, Regna non nupta. Non casu dixi. Regna vidua, quæ non habent virum virtute præstantem, sit cuiuscùmque sexus, nam viragines viri appellari possunt. Haberis vos virum fœminam. Regna non nupta, quæ nò norût futurum. An non aptus est iste

G iij

modus loquendi? Nónne matrimo-  
 nium est perfectum relatio Regis, &  
 Regni? Vir Rex, fœmina Regnum.  
 Sed audi, dum agit, & operatur Rex,  
 vt Regnum crescat, vt in quiete, &  
 iustitiâ viuat, vt necessaria pariat, ma-  
 riti munus exercet: Dum Regnum  
 patitur, dum premitur, dum opprimi-  
 tur mancipium est, non vxor. Est e-  
 nim, & debet esse simile Regnum na-  
 ture vxoris, quę ex costâ, mediâ parte  
 corporis, facta fuit ab illâ Prouidetiâ  
 eternâ: non ex pedibus, quia non ser-  
 ua, non ex capite, quia corpus futura  
 erat. Et ne credas me monstrum fin-  
 gere velle, nec Reges, si qui sunt, qui  
 Regna pedes esse velint, indignetur:  
 sunt Regna pedes, vt fundamētum,  
 sunt bases, sunt columnę Regem  
 suũ sustentantes, non m̄cipia. Quid  
 autem si mancipia etiam suorum ser-  
 uorum? Ex nimiâ seruitute, & multi-  
 tudine Dominorum & Imperium, &



onus tentabunt abiicere, ex pedibúsque ad caput ascendere. Imitentur Reges Deum, qui ad benefaciendum plures esse vult. Nónne Trinus, nónne vnaqueque persona ex illis in nos exercuit, exercétque indies totos, in momenta omnia suam immensam liberalitaté, variásque pietates? Vnus verò. Nónne qui Trinus, vnus, cui inferuituri sumus? Tam durum nouit nostre nature futurum pluribus inferuire. Tam durum credant Reges suis clientibus futurum, plures habere Reges, & dominatores.

EPIST. LXXVII.

*Eidem.*

Agnosco meam culpam, quod te non inuiferim post tot dies. Quâ de causâ, etiamsi culpa secum pœnam fert (priuatio enim tuę suauissimę cõsuetudinis satis mihi pœnæ) præmitto dono baculum, non solùm vt podagrico, sed vt eo me possis recipere, &

castigare: scilicet in tuam gratiam restituere. Hęc enim est vis pœnitentię. Visam te, si baculus permiserit. Roga illum, quęso, ne sit pręter legem seuerus: puniat, non eiiciat. Me tibi cõmendo, quia tuapte naturà mitis es. Ille, qui nouit meam culpam, me non arthridite laborasse, saltem vt ad te aliquid litterarum, procul dubio crudelior erit Sed addo excusationẽ; Tu corporis, ego animi podagrâ laboro.

## EPIST. LXXVIII.

*Eidem.*

Per cor hoc meum. Non ineptè per hanc partem iuro, cum ad te scribo, quem ex corde amo: nossem iurare si ad alios scriberem, habet enim sua quisque singulis iuramentis, & personis apta membra. Per cor iterum hoc meum audebo iudiciũ facere de nostro Mylordo. Credo nos aliquando illudi ab illo. Addo excusationem. Tãm nos amat, vt non possit non fu-

mirigare signis aliquot odoris suæ de nobis confidentiæ mons ille. Verè mons, qui altiora cogitat: salutem suæ Reginæ, illiusque coronæ augmentum: inferiora plurima circumdat: curationem vulnerum clientium, & cõseruationem eorundem amoris, & fidei erga Maiestatem istam. Flammam non edit, nec ignem patentem: rem ipsam non patefacit, ne desit suo officio. Quàm amátium hoc est amicos excusare! etiam si iudices sint, personam aduocati agunt. Quid miraris modum loquendi? Nónne cor tribunal verum commune se inuicem amantibus? Nullam patitur exceptionem personarum, nec status, nec fortunæ. Caueant sibi in tempore Principes, & maiores in amicitiiis cum humilioribus contrahendis. Potés vnusquisque suum amicum in illud iudicium vocare. Illic stet, illic de se reddat rationem, illic sententiam audiat

neceſſe eſt. Nec parui faciant tribu-  
 nal illud etiamſi ſecretiſſimum, quia  
 incorruptibile. Mallem iudicari, &  
 periclitari in illo veſtro potentiſſi-  
 mo, & patentiſſimo iudicio, quàm in  
 amici corde. Cor initium epiſtolæ,  
 cor finis. Vale Cor.

## EPIST. LXXIX.

*Eidem.*

Conſideranti mihi ſæpenumerò, te  
 tam temperatum, tam continentem,  
 non bibacem, non edacem, & nimis  
 dolenti podagrâ laborantem, duo in  
 mentem venerunt: Alterum aphoriſ-  
 ma Medicorum: Contraria contrariis  
 curari: Alterum prouerbium Italum,  
*Ogni agiuto è bono!* Abiice iſtam tem-  
 perantiam, continentiam iſtâ reſpue,  
 forſan vel opprimetur iſte moleſtus  
 humor, vel hâc, vel illâc eiicietur. Cur  
 fontibus à natura ex prouidentiâ, &  
 amore ſuo erga nos cõceſſis ſuas vias  
 obſeras? Laxa, laxa meatus illos, & ex-

perire consilium, amici saltem, si non  
 medici, imò medicissimi. Nouo me-  
 dico nouum nomen debetur. Adde  
 medicamentum medicinæ, si alicui  
 rei oberit. Pœnitentiam, medicinam  
 efficacissimam, quæ nõ solùm ad pri-  
 stinum statum reducit homines, sed  
 ad excellentiorem, & sublimiorem.  
 Quid tu modò murmuras? Per medi-  
 cinam totam iuro meam, non iterum  
 tibi consulam. Abi, abi, vel potius ia-  
 ce, & patere. Ne amplius lamente-  
 ris, quia misericordiam non mereberis  
 medicissimi tui.

## EPIST. LXXX.

*Eidem.*

Mens linguam, lingua calamum op-  
 primit, calamus ad currum confugit.  
 Ergo currus potentior mente, elo-  
 quentior linguâ, disertior calamo.  
 Currum ergo mitte, vel nec mentem  
 meam noueris, nec linguam audieris,  
 nec calamum legeris. Vale.

ANT. PEREZII  
EPIST. LXXXI.

*Eidem.*

Phantasma tuum diurnum paulatim fiam. O importunum amorem peregrinorum! Fuge amicitiam peregrini, alteram, & grauiorem podagram. Nam si hæc membra, & articulos doloribus occupat, & fatigat, illa sibi vendicat hominem, interiorum & pluribus alligat, & arctioribus Herculeis nodis. Ad rem. Prandebam hodiè solus, ad finem prandij aduenit: suauiter, & blandè, non pransum, non cibos esum, sed cogitationes has. Attamen obserati cibi nec apti, nec vtiles edacibus. Impransus rediit, sed non omninò. Cibus insipidos, imò difficiles esu, & quibus dentes obtupescere possent, & palato animi, & desiderij non gratos præbui. Habet enim desiderium, & curiositas humana suum peculiare palatum, cui si nõ satisfeceris, amarus videberis. Vale.

## EPIST. LXXXII.

*Eidem.*

Istas exaravi litteras ad Regem, & Gilum de Mesa. Lege, serua, redde postea. Sat scio, intelliges scopum epistolæ. Sed heus non inuenio calamū, qui sciat, audeatve scribere Regibus. Si tu nosti aliquem, mitte ad me: mei enim stupidi, rudes, imperiti sunt: nō norunt eos.

## EPIST. LXXXIII.

*Eidem.*

Ignosce siti calami mei scripturæ. Sed modò habet occasionem scribendi, & delinquendi, si id non fecisset. Accepi istas à Smitho litteras, quas ad te mitto, vt scias, quid mihi scribat de aduentu Mylordi nostri. Te rogo legas, & postea remittas domino Bassadonæ per aliquem pedisequum tuum, qui necesse est sint celeres in domo podagrâ laborantis, vt quod deest in domino, suppleatur in

feruis. Si aderit Orator ( miserum illum, qui orat inexorabilem senem : ô miserum ipsum senem, vtrumque deploro) saluta eũ meo nomine, verbo tuo, non his litteris. Pudebit enim illas suæ barbariej, audacis apud te, timidæ apud alios.

## EPIST. LXXXIV.

*Eidem.*

Illud mihi relatum est, Reginã non benè valere, eaque de causâ Mylordum ad eam accessisse. Forsan tu id iam nosti : sed mei debiti erat te certiore facere, ne illum expectares. Cœnantes sine me cœnant hac nocte apud me. Desiderãt, vt illis declarem naturam illorum sepulchrorum ambientium, & retinentium corpora viuã, eiicientium à se mortua. Tandem quænam sint illa viuorum sepulchra, non mortuorum. Nõne hæc applicari possunt carceribus huius sæculi retinētibus viuos donec mortuos eiiciant,



ciant, similibus illis de quo scriptum est. Vincētis eius non aperuit carcerē? Si illis hæc declaratio non placuerit, non deerit altera.

## EPIST. LXXXV.

*Eidem.*

## Efficacissima Medicina.

Quid illustrissimis titulis vti oportet? Aptiores, qui rei naturam declarant. Si salus ab amico pendet, Medicina appellari, si autem tam efficax est, vt memoriã illius sanet, nedum præsentia, efficacissima, & potentissima vocari debet. Vndè credis potentissimos appellari Reges, nisi quia solent sanare corporum, & animorum infirmitates. Non quia destruere possunt, subesset enim illis cum vellent, posse. Non enim potentes dæmones quod destruere solum possint. Deus solus potens qui potentiam suam fouendo, benefaciendo ostendit. Ergo miseri Principes, & deplorandi, qui

H

non Deum, sed demonem imitantur.  
 Ergo dæmon princeps talis. Absint à  
 me tales Principes, absim ego ab illis  
 longè. Interea Rex meus, meus ami-  
 cus: ego illius regnum: Suaue impe-  
 rium, suauior seruitus. Vide potèti-  
 am amicitia, suauem seruitutem reddentis.  
 Imò Amicitia seruitus mutua,  
 imperium mutuum. Quid miramur?  
 Nónne Deus Rex regum seruus fa-  
 ctus? Amor id effecit, & vt serui cum  
 essemus, Reges possemus esse virtute  
 suæ seruitutis potentis. Tali regi in-  
 feruiamus, cuius seruitus potens, ne-  
 dum imperium; non dæmonem, nec  
 Principes, quorum potètia serua suo-  
 rum affectuum.

## EPIST. LXXXVI.

*Eidem.*

Venit Mylordus, abiit Mylordus.  
 Reuocauit illum infirmitas Regina.  
 Tandem possunt infirmari Reges. Sed  
 si infirmari, & mori possunt. Via enim

ad mortem infirmitas. Sed quid miror? Vita ipsa ad mortem via. O miseram vitam! ô fœlicem mortem! Vita nauigatio, mors portus. Ergo qui propinquior morti, propinquior portui. Hæc ante cœnâ. Nescio an meus calamus post cœnam philosophari nouerit. Iam volebat murmurans in me insurgere. Solent esse audaces, & præsto serui nimis familiares contra Dominum. Caue igitur ab illis. Quando non credes, illi te accusabunt, in iudicium vocabunt, te condemnabunt. Quid plura? Si deerit carnifex, ipsimet fungentur tali munere. Vale, & iterum caue ab illis.

## EPIST. LXXXVII.

*Eidem.*

Fulgor noster, Mylordus, venit, lufit pilâ, sudauit, sudorem detergebat, cum ego huc perueni, corporis, non animi. Aliis sudariis sudor animorum detergitur. Nolui illum allo-

H ij

qui, quia erant cum illo collusores.  
 Abiit pransum ::::::: rediturus hodiè  
 in aulam. Sed heus quàm animum  
 meum dilacerarunt verba illius epi-  
 stolæ, Scies, inquit, viam meæ Fortu-  
 næ. Caueat à Fortuna. Ne in illius  
 brachia fallacia se proiciat, fragilio-  
 ra baculo arúdineo, cui, vt verbis Isaię  
 vtar non ineptis huic proposito, si in-  
 nixus fuerit homo, intrabit in ma-  
 num eius, & perforabit eam. Sic For-  
 tuna omnibus qui confidunt in eâ.  
 Summa prudentiâ, summa cautione  
 tentet, aggrediatur Fortunam neces-  
 se est, qui illi se commiserit. An non  
 expertus loquor? Vale. Paulatim fiet  
 finis epistolarum, & omnium confi-  
 liorum, Caue.

## EPIST. LXXXVIII.

*Eidem.*

Cum ego ad te scribo, non valeo,  
 sed valere desidero, sicut qui infir-  
 mus adit Medicum. Medicũ pro me-

dicinâ protuli. Medicinam quæro, dū te quæro. Talis enim mihi est, & suauissima sermonis tecum cōmunicatio ad subleuandum animum meum ex doloribus quæribundum, si queri potest iacens in sepulchro. Nosti sepulchra animorum? Tristia corpora. Iam me expediui ab illis libris, vel molestiam illam, & pondus à me eieci. Nihil leuius, nihil grauius chartâ. Sumę in manu folium chartæ, nihil leuius. Scribe in eo molestias animi, nihil grauius. Talia isthæc, quæ ad te mitto. Sunt grauia, sunt obscura, sunt mea.

• EPIST. LXXXIX.

*Eidem.*

Te obsecro ad me remittas hesternas litteras per seruum tuum. Tibi statim eadē remittam per eūdem. Sed heus, forsan dum nauæ illi affirmant me esse caussam præsentis tempestatis, cogitant in mare proiicere.

H iij

Vellem me esse Ionam, si illius fortunam sum experturus. Sed hoc in illorum potestate: illud autem in manu Domini.

## EPIST. XC.

*Eidem.*

Patere consulat tibi, qui te amat. Laxa animū, respira. Quod in te fuerit, exsequitor, reliqua Deo committito. Quorsum hæc? Credisne aciem gladij acutissimi altius penetrare, quā oculorum amantium? Nec Sol ipse. Non te patentem his diebus video, etiamsi te præsentem alloquor. Non te aspicio, etiamsi senatoriam istam personam intueor, sed imaginem tui, & te abs te absentem inuenio. Heus, heus reuertere, errare enim est, & error maximus affligi, & angī de iis, quibus remedia inueniri non possunt. Quæ commotiones animi tui non poterunt efficere, motus, si non naturales supranaturales, efficient.

Quæ nec motu naturali, nec arte possunt commoueri, violēto aliquo motu, turbine aliquo commouebuntur, forsan firmabuntur. Plurima ædificia, quæ Architecti maximi non potuerunt machinis firmare, firmavit nimium ipsorum suâ grauitate pondus. Vale, & animare.

## EPIST. XCI.

*Eidem.*

Audi D. :::: & mihi seruato aliquē angulum in istis ædibus non diu occupaturo, sed vltcrius perfecturo, alio me ipsum relegaturo, ibique me abdituro, vósque corpore relicturo, eternúmque amaturo, vestrique etiã mortuo recordaturo, vel me viuum abnegaturo. Te obsecro amicorum suauissime memineris Hammódum meo nomine salutare. Vtinã tam salutaris suis morbis medicinã id posse facere, quàm illi indigent. Sed quod ego diffidens verbum protuli? quasi

H iij

mea commendatio, & apud vos, qui me amatis, & pro illo, què ego amo, non sit sufficiens medicina. Curate medicum. O summa medicina.

## EPIST. XCII.

*Eidem.*

Iterum tibi vale dico è naui, iam iã discessurus & adhuc à te nihil litterarum accepi. Caue ne te comprehendat prouerbium Hispanum; *A muer-tos y à ydos no ayamigos.* Siue scribas, siue non scribas, saltem me ama : & vale.

## EPIST. XCIII.

*Eidem.*

Adhuc ventus contrarius, si contrarius dici potest, qui me in Angliã detinet, à quã diuelli tam ægrè fero. Sed ad tuas litteras, quas mihi clarissimus Basadonna tradidit. Quotidiè magis te noui, præsentem alloquens, amicum confidentem, absentem legens prudentem, & cautum. Non



improbo, sunt enim calamus, & charta leuissimi internuncij, vt illis quisquam se tradat sine periculo. Non nego tuas ad me litteras esse plenas amoribus. Sed vin scire comparationem aptam de te absenti cum præfenti, de amoribus tuarum litterarum cum tuâ cõfabulatione. Vtrûmque comparo Eunuchis. Eorum amplexus, & quatuor illę Veneres, non tibi ignotæ, nec cuiquam podagrico, etiam si signa sint amantium, nunquam satis amasiis faciunt. Reuerte, & redi ad tuum illum tuæ præsentis consuetudinis morem, à quâ nunquam discedebam sine aliqua confidentiâ, veræ amicitiaë quintâ venere: vel si ita posthac te gesseris, Eunuchas à me expectato litteras. Si te offendi, prouoca ad D. Comitem; illi vtilissimum erit, vt dum nos iudicat, sibi caueat. Vale, non dicam caue, quia iam tibi caues.

ANT. PEREZII.  
EPIST. LCIV.

*Eidem.*

Summa mea auiditas tecum confabulandi me cogebat antea de rebus ferè omnibus, quæ sese offerbāt, ad te aliquid scribere. Postea verò quàm proditor ille nos turbauit, decreui non toties eadem iterare. Accipite igitur ad te descendet notitia rerum. Posthac occupabitur meus calamus in te salutando, in quærendo de me: An uiuat in te memoria mei, an sicut mutantur tempora, mutentur & amicorum animi. Fœlix ego, si tuus tam constans fuerit in me amando, quàm in iacendo præ podagrâ corpus istud. Corpus ingratum tali animæ, quam sortitum est, totque virtutibus, quas in se concludit suæ patriæ utilissimas. Heu pietas! Heu deplorandum maximum bono publico detrimentum! Sed malo valeas, & Reip. profis, etiamsi valens, vt fert natura

humana, mutāduſ ſis. Sed interea me  
ama. Id ſi feceris amabis, Tuum.

## EPIST. XCV.

*Eidem.*

Non tām me delectarunt iſtæ tuæ  
litteræ Calendis Sept. datæ, etiamſi  
tuæ, & poſt tam longum ſilentium  
mihi traditæ, quàm olim ſolebāt. Ne-  
ſcio quid inuenio in illis accuratæ  
eloquentiæ, alienum ab illo noſtro  
ſimplici ſermone, amantibúſque in-  
ter ſe natiuo. De te mutæ, tanquam  
furdo mihi nihil referunt. Nihil non  
iudiciale loquuntur. Quid mihi cum  
iudicibus, vel iudicijs? Nolo iudicare,  
aut iudicari. Euafi iudicia iniqua. Ma-  
lo condemnari, quàm contendere.  
Malo à te amari quàm te conuincere  
obliuionis, & negligentæ. Id ſi fece-  
ris, ego ipſe tuus ero patronus, ſem-  
pérque Tuus.

## EPIST. XCVI.

*Eidem.*

ANT. PEREZII.

Mirum ad me tuas potuisse viam nosse litteras. Tãdem, etiamsi tardæ, peruenerunt. Quibus illud solum respondebo; Nec tempus, nec epistolas esse occupandas atomis istis. Illud addam à prudentissimo Principe Ruy-gomez de Sylua dictum: Nescire scilicet quænam sint maiora fastidia, atque damna, an quæ ab aure, an quæ à linguâ proueniunt. Nihilque sibi magis ad quietê animi, & corporis profuisse, & ad amicos conseruandos, & inimicos euitandos, quàm obseratas habuisse aures susurrationibus. Cura, vt valeas. Hoc tuâ, & tuorum amicorum, & boni publici interest. Reliqua omissa faciamus: puerilia illa.

EPIST. XCVII.

ANT. PEREZIVS.

Amicis duobus Doct. Theologiæ  
Religiosis.

Ne me experiamini obliuione, quia non isto clauo ducitur mea nauis,

Claudá libros meos, Blesensem, Absalonem, nec buccellam illorum sermonum vobis relinquam. Fame peribitis, si tales dapes expetitis. Scio ego edere solus, & quæ supersunt dispergere potius, quàm ingratum distribuere. Valete, imò non valete, quia nec salutem desiderabo me non amantibus.

## EPIST. XCVIII.

ANT. PEREZIVS,

Amico amicissimo.

Quare à te ipso, quàm mihi gratæ fuerint tuæ litteræ. Cor enim oppressum lætitiâ, & consolatione aliqua vehementi nullum impartitur linguæ, nec calamo partem, vt partem saltem sui gaudij alteri declaret. Tu autem à te ipso poteris nosse, qui in meo habitas corde. Sed etiam illud noueris nõ omni ex parte mihi gratas fuisse, spem de te promittentes, non te ipsum iam iam aduentantem denun-

ciantes. Nam ardenti desiderio res  
 ipsa, non spes satisfacit. Viuam tamen  
 hac spe à te datâ, pro quâ fides, & a-  
 mor tuus mihi noti spondent, & ego  
 ipse mihi pro illis. Vide Cõfidentiam  
 naturalem filiã Amoris & Fidei. Me-  
 mineris igitur, cauetóque, ne tuam li-  
 beralem, & generosam naturam cum  
 animi, tum corporis commutes, imi-  
 tando aliorum inconstantiam. Absit  
 talis natura ab amico meo, & à me  
 lógè tales amici. Vale, & ama te æter-  
 nûm amaturum, tuæque suauissimæ,  
 consuetudinis, & fidissimæ auris re-  
 cordaturum.

## EPIST. XCIX.

*Eidem.*

Nudius tertius mihi redditæ fuere  
 tuæ litteræ. Gratissimæ illæ quidem,  
 & quia tuæ, & quia plenæ consolatio-  
 nis, & spei de salute nostri Mylordi  
 tam corporis, quàm animi, & suarum  
 fortunarum. Animasti tandem me.

Sed à tantâ Reginâ, tâmque clemen-  
ti nihil aliud expectari potest. Ego  
verò nūquam potui, nec possum ani-  
mum meum inducere ad credēdum  
istam Maiestatem non recordaturam  
sui erga talem virū amoris, & ipsius  
meritorum, & quod apud Principes  
non solet esse minoris consideratio-  
nis, non perpensuram suâ illâ summâ  
prudentiâ quanti illis interfit Reip.  
exteris gētibus satisfacere, & illorum  
omnium iudicium reuereri. Est enim  
Tribunal iudicium tale, in quo Prin-  
cipes supremi, sicut inferiores, & cliē-  
tes iudicari possunt. De meis rebus  
nihil habeo quod ad te scribam. Ma-  
latiâ detinemur adhuc, etiamsi appa-  
rent aliquot nubeculæ, spei, & auræ,  
quæ forsan nauim hanc mouebunt.  
Remis enim, diligentis scilicet, &  
conatibus humanis, non spero mo-  
ueri posse vnquam. A cælo, à superio-  
ribus elementis motum, & mutatio-

ANT. PEREZII

nem expecto. Amici mei valent, Te salutant. Ego valentius valebo, si te valere, & me à te amari intellexero. Vale fidelis mea auris.

EPIST. C.

ANT. PEREZIVS.

Cuidam viro summæ doctrinæ, suavissimæ eloquentiæ, humanissimæque grauitatis.

Si grates Deo, qui non indiget Atabalipæ, vel Montazumæ gazis gratissimæ esse solent, non debent à te meæ reiici. Nil aliud odor nisi imago amantis cordis: nil aliud gratiæ nisi animi grati signum. Credisne aliâ de causâ in templis Deo offerri thus, vel alia similia? Sed fallor: aliâ etiam. Ne superbia humana prætedat aliud posse Deo offerre, vel præstare, quod fumum excedat, nec illius valorem. Aliâ etiam, vt ab humili corde grates, odoré, fumum ipsum acceptum sibi fore sperent homines. Valle Illustrissimæ



lustrissime Domine à fumo. Quid aliud vita, vel salus humana nisi fumus? & minus quàm fumus. Cinis ipse: quia fumus sursum erigitur. Ego verò ex feбри iaceo ex eò die, quo te visitaui. Vale igitur à tuo Cinere.

Ant. Perezius.

IUSTO LYPPIO.

Ne mireris tibi traditam epistolam Hispani, & tibi non noti. Eius forsàn nomen audisti, forsàn eius Fortunam admiratus es, cuius strepitus vehemens omnium ferè populorum compleuit aures. Mitto tibi Hispanas epistolas impressas in gratiam cuiusdam Principis illam linguam amanti. Si irriseris donum, ne irrideas animum dantis, quo nullum inuenies eloquentiorem, nec tui amantiorem ex tibi non notis. Et ne caussam ignores, vndè hic amor, & familiaritas proueniat, tua me rapuerunt scripta ad te obseruandum, & celebrandum,

I

cum quibus quotidie versor, ut ex illo Parnasso aliquid bibam, fugam potius, vel lambam dixerim, nam si senex, puer adhuc ad mandendum, & digerendum illos fortiores cibos. Illud etiam a te peto, ne confidentiæ tribuas centuriam epistolarum Latino sermone edi me passum fuisse, qui senescendo, & peregrinando Latinas litteras didicerim: amicorum vim potius in causâ fuisse credas. Quæ etiam si suavis, vis tamen. Præterquàm quòd in peregrinis, & viatoribus non sunt requirenda elegantia, & ornata indumenta. (Quid autem aliud verba, quàm indumenta conceptuum?) Squalidi, puluerulenti ut plurimum incedunt. Memineris præterea antequam sententiam feras, Catonem Græcas in eâ ætate discere aggressum fuisse. Ille fortè ex curiositate, ego verò ex necessitate, ne lingua peregrinantibus, & persecutione effugien-

tibus summè necessaria mihi deesser.  
Vale à tibi non noto, sed tui aman-  
tissimo. Sed heus quanto maiori in  
pretio possunt haberi amantes etiam  
non noti, quàm noti. Nónne multi  
noti, nò amici? imò inimici, qui igno-  
ti minus nociui fuissent. Iterum vale  
ab experto.

F I N I S.

I ij

CENTVRIA IPSA  
LECTORI.

Heus Lector, submissè precor, & blandè corrigito. Noui me ipsam, etiam non admonita. Coacta exeo, verecunda, & timida: Sicut pueri, qui inuiti prodeunt in conspectum hominum. Vale eâ conditione, si quod precor effeceris: & linguâ, non dente canino correxeris.

Errata sic corriges.

Fol. 2. b. l. 4. conteruntur. l. 8. camelus. l. 13. animarum. f. 9. b. l. 7. animo. f. 11. b. l. vlt. & notum. f. 13. b. l. 7. fidissime. f. 16. b. l. 7. excellere. f. 18. b. l. 14. turbasti. f. 19. b. l. 12. auribus. f. 21. b. l. vlt. inæstimabiliori. f. 22. a. l. 8. qui te animo quocumque sequor. l. 12. erga. f. 28. a. l. 11. obsit. f. 30. a. l. 8. opinio. f. 31. a. l. 1. Montezumaque. b. l. 3. æternum. f. 32. a. l. 14. propriè. f. 36. a. l. 15. dominus. b. l. 9. meus. f. 37. a. l. 13. fidissimum. f. 42. a. l. 18. testimonia. f. 44. b. l. 19. gratas. l. vlt. consiliarij. f. 49. b. l. penult. aliud. f. 50. a. l. 18. premit. f. 53. b. l. 17. scriberem. f. 59. b. l. 7. qui. f. 60. a. l. 13. profecturo. f. 63. a. l. 15. nullam.